8

In Antiquis est Sapientia.
Job. 12. v. 12.

UNITAS

DOGMATICA & POLITICA

In qua agitur de Reformatione, hoc tempore attentata in Belgio:

OBLATA

SERENISSIMO PRINCIPI

JOANNI AUSTRIACO

ANTIQUITATIS PATRONO,

FIDEI PROPUGNATORI.





ANNO CHRISTI 1679.

Cum Approbatione.

LECTORI CATHOLICO
ET
BENEVOLO TYPOGRAPHUS.

V*Erè & benè dixit Propheta Iob cap.* 12. *v.* 12. In antiquis eſt Sapientia: *ut autem homines hac potiri valerent, admonet Ieremias c.* 6. *v.* 16. *dicens:* State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis requiem animabus veſtris. *Vt veram Sapientiam conſequamur omnes, Author hoc ſcriptum* SERENISSIMO PRINCIPI *obtulit (quod ad manus meas pervenit ab Anonymo, quodq́ publici juris facio ad ſolatium verorum Catholicorum) Eiq́ tam* Dogmaticam *quam* Politicam Unitatem *intimavit, & benè: nam in* Unione *& Sapientia eſt ſalus poſita; ècontrà verò, in ſectione, diſtinctione, & diviſione pernicies & ſtultitia; ideò quoad ejus eſſe poſſunt efficere univerſa omnia, ſivè naturalia, ſivè qua arte conſtant, conjungunt ſeſe ac condurant, atq́ in* Unione *ad ſui tutelam perſiſtunt. Lapis ut eſſet lapis, omnes ejus partes, omniſq́ natura in unum ſolidata eſt. Quid?*

Arbor, arbor quidem non eſſet, ſi una non eſſet. Quid? membra cujuſlibet Animantis, ac viſcera, & quidquid eſt eorum quibus conſtat, certe ſi unitatis *patiantur divortium, non erit animal: populus una Civitas eſt, cui periculoſa diſſenſio: Quid eſt autem diſſentire, niſi non* unum *ſentire? Ex multis militibus fit unus Exercitus; itemq; multitudo eò minus vincitur, quo magis in* unum *cöit. Videmus ab* unione *generari virtutem; quia quanto* unio *ſtrictior eſt, tanto fortior eſt virtus; & quò eſſentia magis eſt* unita, *eo majoris cenſetur eſſe virtutis.*

Hinc, ad humanum Principatum deſcendendo, concluditur (ut inquit Petrus Bongus) *Analogiam quandam eſſe terreni Principis, ſicut & divini, cujus gerit ſimulachrum: Quô quidem modô dico; in* unâ *navi non poſſunt eſse Gubernatores multi; nec in* unô *Regimine multi Reges; ſed* unus *Rector in mundanâ fabricâ; moderator* unus *in bellô;* unus *eſt ſummus Imperator; & in quovis grandi exercitu* unius *ſignum expectatur: Rex* unus *eſt Apibus, &* unus *in gregibus, & in armentis ductor* unus*: Grues* unum *ſequuntur ordine iteratô, formam trianguli efficientes: in Navi* unus *eſt Gubernator; in Civitate* unus *Imperator; in Corpore* unum *Caput; in Regno* unus *Rex; in Eccleſiâ* unus *Summus Pontifex, cujus infallibili doctrinæ omnes*

nes nos submittere oportet ; & tunc verè florebit unitas Dogmatica & Polytica. *Quod ut fiat , & unusquisq; non fabricet & proponat* novitates *secundum spiritum suum , hæc scripta sunt : Hinc enim omnis error , scandalum omne, & schisma timendum : Cumq; aliqui Ecclesiasticas Censuras & pœnas non multum videantur abhorrere ; hinc gladio spirituali temporalis jungendus est : Et Principes habent (præter mille alios) quem imitentur* Philippum III. *piæ memoriæ Regem potentissimum , qui subditis suis hæreticis pacisci noluit , & nullius aliam magis curam habuit , quam hostes Ecclesiæ profligare : Et profecto habent Hispaniarum Reges (ut dicit* Joseph Stephanus *in quadam sua Oratione) & cum Eis universa Provincia præter militarem virtutem & laudem , qua maximè nobilitantur , insitam ac quasi innatam fidei pietatem , per quam omnia suscepta consilia ad Sanctam referunt Sedem ; ut in eâ , tamquam in firmissimis totius Regni viribus , ac munimentis insistant : quod & confirmat sancta Inquisitionis officium institutum , sub quô non patitur Hispania illos fluctus & turbines , quibus multæ Provinciæ magna & miserrima fortunarum & fidei naufragia pertulerunt : Sed cum eo deficiente in Belgio novitates incipiant , necesse est ut modo opportuno illa impediantur , ne fiant in laqueum & miseris in ruinam. Sed forsan quispiam cogi-*

gitabit, nondum video ſchiſma aliquod: Reſp. latet ſerpens ſub herbâ, & quæ jam parvi aliqui faciunt, verè, ſi finem, Originem, & Scopum conſiderarent, magni æſtimarent: nam parva ſcintilla magnum cauſat incendium: hoc prudentiſsimè conſideravit nuper Regina noſtra tunc Regens, Mater Monarchæ noſtri, dum, cum dolore intelligens novitates hic accreſcere, mandavit Comiti de Monterey, *tunc Belgii Gubernatori, &c. ut impediret, ne quis novitates aliquas introduceret, niſi ſancta Sedes conſulta aliqua publicanda & obſervanda determinaverit: Sic patet ex propriis Reginæ litteris datis & ſigillatis de more Madriti 30. Iunii anno 1675. Cujus & zelum conſiderans Author hæc ſcripſit non acri ſed ſimplici ſtylo & animo; non verbis politis, ſed veris & ſinceris: Quicumq; legis æqui boniq; conſule, & cum Authore* Unitatem *ama & defende: Vale.*

UNI-

UNITAS

DOGMATICA ET POLITICA.

Vnus Dominus, una Fides, unum Baptiſma,
Ad Epheſ. cap. 4. v. 5.

Solliciti ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis, Epheſ. cap. 4. v. 3.

UNitatis utilitatem & neceſſitatem nobis proponit D. Auguſtinus in Serm. 26. de verbis Domini, dicens : *Da enim unum ; & populus eſt ; tolle unum , & turba eſt* : Nam omnia ſic ad unitatem tendunt , ut ſint multa partibus , unum toto , & quæ ſunt multa accidentibus , ſint unum ſubjecto , quæque multa numero unum ſpecie , & quæ ſpeciebus multa, unum genere & unum principio ſint,quæ multa proceſſionibus : adeò ut creata omnia , quantumvis diviſa & diſparata , unum ſint , & ad *Vnitatem* anhelent : *Ex quâ* , ut ait Ariſtoteles , *oritur concinna quædam , & quaſi modulata partium mundi conſenſio , quæ harmoniam unam efficit omnium pulcherrimam* : quam & verè eſſe dixit *Tutricem & Conſervatricem univerſi* : Sed ſi hujus tutrix & conſervatrix eſt *Vnitas* & concordia , eadem & hominis eſſe debet ſive microcoſmi , vel hominum inter ſe , qui membra ſunt unius corporis , teſte Apoſtolo 1. Cor. cap. 10. v. 17.

Vnum corpus multi sumus. Si ergò *Vnitas* fuerit essentialis creationi universi, quanto magis necessaria ejusdem gubernationi *Vnitas dogmatica* sive doctrinalis, quæ facit gentes & populos, patria & moribus diversos, occurrere in unitatem fidei; nec tantum, sed & ad unionem Polyticam hæc *Vnitas* doctrinalis adjuvat: hanc quoque, ut Regiminis finem, Rector attendere debet, ne socialis vitæ pereat utilitas: hac *Vnitate* Ecclesiastica & Politica floret Respublica, divisione perit: hanc probat utilem, imò necessariam demonstrat Regimen Ecclesiæ Monarchicum: Si enim Monarchiæ proprietates, simul & unitatis necessitatem perspicies. Confirmat intentum jus naturale & positivum.

Undè Novatoribus proponit sacer Textus, Deut. cap. 4. & 14. *Non addetis ad verbum quod ego præcipio vobis, nec auferetis ab Eô*; id est, non aliam doctrinam docebitis præter illam in lege contentam: Ipseque Dei Filius, homo factus, novam laturus legem, ab antiqua sese non discrepare significavit, dicens Matth. cap. 5. *Non veni solvere, sed adimplere:* hinc optimè Clemens Alexandrinus lib. 11. Strom. *Novum*, inquit, *Testamentum veteri litteræ impressum erat. Vnitatem* Ecclesiæ veræ doctrinæque sanæ probat Scriptura, dum illam vocat *unum Corpus* Rom. 12. *unam Columbam* Cant. 6. *unum Ovile* Joan. 10. *Idcirco*, inquit Cyprianus 1. Epist. ad Magnum: *Dominus insinuans nobis unitatem, de Divina Authoritate veritatem ponit & dicit: Ego & Pater unum sumus: ad quam unitatem redigens*

Ecclesiam suam, *denuò dicit*; *& erunt unus grex & unus Pastor*, *scilicet sicut unus Christus*, *sic unus populus Christianus*. Abelis Sacrificium Deo placuit, Caïni displicuit Gen. 4. v. 4. Et 1. discriminis rationem assignasse videtur ipse Deus, Caïnum statim allocutus, juxta septuaginta: *Nonne*, inquit, *si rectè offeras*, *non autem rectè dividas*, *peccasti?* Sed in quô male divisit? Rupertus ad eum locum: *Caïn*, inquit, *non rectè divisit*; *quia cùm Deo offerret sua*, *seipsum sibi retinuit*: *Cor suum retinuit sibi*, *& fructus terræ obtulit Deo*. Videtis divisionem odiosam? videte & unionem commendatam: *Frater*, *qui adjuvatur à Fratre*, *quasi civitas firma*. Proverb. 18. cap. v. 19. Ita optandum, ut unâ eademque doctrinâ Christiani Fratres invicem adjuvarent, ut sic eâdem viâ ad unum Deum venire possint: *In unô*, enim *itinere*, inquit Hugo Card. *unitatis concordia insinuatur*, *quam debent habere Doctores in docendo*, *& Prædicatores in prædicando*. *Habete in vobis sal*, ait Dominus Discipulis Marci cap. 9. v. 50. *& pacem habete inter vos*, hoc est sal doctrinæ, ad condiendum Orbem; *pacem inter vos*, ad conservandam charitatem: Nam, ut Beda ibi: *Habere*, inquit, *sal sine pace*, *non virtutis est donum*, *sed damnationis argumentum*.

Attendite ad hoc Novatores, & scitote quod non sit *dissentionis Deus* vester, sed *pacis*, ut Paulus 1. Cor. 14. quodque Matthæus cap. 12. dicat: *Omne Regnum in se divisum desolabitur*. Hæreses considera, divisiones numera, desolationes pondera, & lachrymas det oculus, cor

ſuſpiria & gemitus in teſtes doloris , & quod inveniantur, quoad mores ſaltem, tot contentiones in ſcholis , tot contradictiones in cathedris, tot diviſiones in doctrinis , ut inter Theologos modernos vaticinium illud Iſaïæ cap. 19. adimpletum videatur : *Concurrere faciam Ægyptios adverſus Ægyptios* : ita enim quidam inter ſe digladiantur , & , neſcio quibus opinionum novitatibus, Chriſtianam doctrinam miſere dilacerant : hoc modo accidit (ni fallor) quod olim naſcenti Eccleſiæ accidiſſe fertur, nempè *quod diaboli inſtinctu ſtudia in Religione fierent* (ut ait Hieronymus in cap. 1. ad Tit.) *& diceretur in populis ego ſum Pauli , ego Apollo , ego verò Cephæ.*

De ratione eſſentiali Eccleſiæ eſt , ut ſit una , unione membrorum inter ſe & cum capite ſuô : hanc autem unionem tollit, quiſquis *Vnitatem doctrinalem* ſive dogmaticam ſeparat ac dividit: quod utique probat multiplex unitas, quæ in Eccleſia invenitur.

1. Eſt *Vnitas* ratione principii , id eſt Dei vocantis Joan. 6. *Nemo venit ad me niſi Pater traxerit eum.*

2. *Vnitas* ratione ejuſdem ultimi finis , quem unum omnes qui in Eccleſia ſumus intendimus , & qui in illo uno denario omnibus operantibus promiſſo præfiguratur Matthæi c. 20. *Vocati* (ait Apoſtolus Epheſ. 4.) *in una ſpe vocationis veſtræ.*

3. Eſt ratione omnium mediorum , id eſt fidei , Sacramentorum , legum ; juxta illud ad Epheſ. 4. *Vna Fides , unum Baptiſma.*

4. Ra-

4. Ratione ejusdem Spiritus Sancti, à quo, tamquam externo & separato Rectore, universa Ecclesia gubernatur: *Divisiones gratiarum sunt* (1. Corinth. 12.) *idem autem Spiritus.*

5. Est ratione ejusdem capitis tamquam interni & conjuncti Rectoris; omnis enim Ecclesia uni Christo & ejus Vicario tamquam capiti paret.

6. Est ratione connexionis membrorum inter se & præcipuè cum capite, ut est principale membrum, *unum corpus sumus, alter alterius membra.* Rom. 12. quæ omnes unitates in una *Vnitate dogmatica* fundantur, & ab ea omnes, tamquam effectus à causa, dependent.

Primam *Vnitatem* scinderet, qui nos aliter, quam per gratiam Dei, in Filios Dei adoptari diceret.

Secundam Læderet, qui ultimum finem nostrum non in solo Deo sed etiam in creatis positum prædicaret, quod utique non faciunt illi, qui, præter Deum, creaturas diligi posse amore casto & moderato docent.

Tertiam *Vnitatem* omnino tollunt, qui dogmata fidei alio & alio modo, à communi doctrina alieno, doceri volunt, qui Sacramenta variis & insolitis dispositionibus administrari cupiunt, qui leges, humanæ fragilitati & miseriæ impossibiles, hominibus imponunt.

Quartam *Vnitatem* spernunt, qui gratia Spiritus Sancti, per manuum impositionem sibi data, *ad consummationem Sanctorum in ædificationem corporis sui*, quod est Ecclesia, sive tamquam Apostoli, sive tamquam Pastores & Doctores tam in-

inordinatè & præpoſtere abutuntur ad deſtru-ctionem fidelium.

Quintam *Vnitatem* tollere nituntur, qui Eccleſiam bicipitem comminiſci audent, non attendentes ad Bullam S.D.N.Innocentii X.adverſus libros continentes propoſitionem, qua aſſeritur æqualitas SS. Petri & Pauli, eſt emanata Feria 5. die 24. Januarii 1647. ex illa hæc verba accipe: *Sanctiſſimus relata unanimi Theologorum, ad hoc ſpecialiter deputatorum, cenſura, & auditis votis Eminentiſs. & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium Generalium Inquiſitorum, propoſitionem hanc: S. Petrus & S. Paulus ſunt duo Eccleſiæ Principes, qui unicum efficiunt. Vel: ſunt duo Eccleſiæ Coriphæi, ac ſupremi Duces ſumma inter ſe unitate conjuncti. Vel: ſunt duo Eccleſiæ Summi Paſtores, ac Præſides, qui unicum caput conſtituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S.Petrum & S.Paulum ſine ſubordinatione, & ſubjectione S.Pauli ad S. Petrum in poteſtate ſuprema & regimine univerſalis Eccleſiæ, hæreticam cenſuit, & declaravit.* Ex quibus patet unicum Eccleſiæ caput: & non vulgares Epiſcopos controverſiarum fidei judices, & membra capiti, id eſt Summo Pontifici, eſſe æqualia, multoque minus eſt unuſquiſque Parochus Pontifex in ſua Parochia, &c.

Sextam apertè violant, qui caput Eccleſiæ de fallibilitate in decidendis rebus fidei abſque Concilio generali inſimulant, qui membra Eccleſiæ cum Capite ſuo (ſive inter ſe) neſcio quibus ſchiſmaticis contentionibus concurrere faciunt: credant potius cum Irenæo lib. 3. c. 3. *Eis, qui ſunt undique fideles*, neceſſe eſſe *ad Romanam* Eccleſiam

siam *propter potentiorem ejus*, sive in profligandis erroribus, sive in asserenda veritate *principalitatem* religiosè *convenire*. Ad quam Apostolicam Sedem, teste Cypriano Epist. 55. *perfidia non potest habere accessum*: & cum Hieronymo ibidem: vos alloquor si veri sitis Catholici: *nescitis Vitalem, Meletium respuitis, ignoratis Paulinum, persuasi Cunctos spargere, qui cum Romano Pontifice non colligunt; hoc est, qui Christi non sunt, esse Antichristi.* Audite verba mellifui Bernardi Epist. 190. ad Innocentium Papam, atq; ex his infallibilitatem Innocentii XI. in decidendis quęstionibus facti & juris agnoscite: *oportet* ait *ad vestrum referri Apostolatum pericula quaque & scandala emergentia in Regno Dei; ea præsertim quæ de fide contingunt; dignumq; arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum: hæc quippè hujus prærogativa Sedis.* Hæc Pontificis infallibilitas ex Scriptura, probatur tam ex 16. c. Matth. quam Joan. 21. Lucę 22. &c. de quo videte Theologos. At quęso, quid nuper condemnavit Innocentius XI? quid apposuit? audite verba, intelligite mysteria; condemnavit 65. Propositiones *partim ex diversis, vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas*: ex quibus autem thesibus? innotuit nuper, dum in Epistola Mechliniensi nomina, anni, dies, quando & ubi defensæ innotuerunt; ex originalibus enim ibidem convicti, qui contra expressum suę Sanctitatis mandatum easdem publice, etiam lingua vulgari, Religiosis Belgii adscripserunt in vanum & ex invidia: attendite quæso & unitatem Spiritus conservate: imprimite mentibus, ut re-

reprimatis linguas; SS. D. N. verba, quæ hæc sunt: *tandem, ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu scholastici, aut alii quicumque imposterum se abstineant, & ut paci & charitati consulatur, idem sanctissimus in virtute S. Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis quam in thesibus, disputationibus ac prædicationibus* (notate verba) *caveant ab omni censura, & nota, nec non à quibuscumque convitiis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos, hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognita super iisdem propositionibus judicium proferatur.* Ubinam obedientia vestra? dum non solum in Cathedris passiones ostendistis, sed & easdem propositiones monialibus, mulierculis, plebeculæ cum atrocibus in Religiosos verbis & schismaticis dicteriis tribuistis: non sic, non sic servatur *Vnitas*: imitemini Pontificis discretionem, quà sævit in errores & dilexit errantes; quinam illi fuerint judicent sani.

Tantum saltem abest ut verum sit nuperum quorumdam assertum, quod Religiosi sint Authores 65. damnatarum ab Innocentio XI. propositionum, quin potius illarum plurimas præcipuè impugnarunt, & prout jacent detestati sunt ante Anathema Romanum: unde, qui *Vnitatem* diligitis, scitote, quod multo minus verum sit pro iis tuendis contentiones excitatas in Belgio, ubi plærumque (utique ex Hispania, Sicilia, Germania, &c. accitæ) ne quidem auditæ sunt; *Vnitatem* lædis, quisquis ex censura laxitatum per Alexandrum VII. & Innocentium XI. consentaneum dicis, quod ab ipsis censuratæ opiniones, etiam ante censuram,

non potuerint sine peccato practicari quocumque probabilitatis titulo : injurius es in Theologos Lovanienses, qui 1. 5. 6. 10. 11. 17. 18. 26. 27. 30. 36. 40. 42. 45. 54. 55. 65. aliisque patrocinati sunt sæpius; non damnandas enim, sed damnatas docere pernicies summa est sanæ doctrinæ : Cogitate autem nihil *gloriosius esse*, teste August. in Psalm. 57. *quam subjici & vinci à veritate. Non enim vincimur* (ait Cyprianus Epist. 71.) *quando nobis meliora offeruntur, sed instruimur; maximè in his quæ ad Ecclesiæ* Unitatem *pertinent, & Spei & Fidei nostræ veritatem!* Unde decet, ut unanimiter nos sanctæ Sedi submittamus, non solum admittentes condemnationem nuperam propositionum 65. scandalosarum & in praxi perniciosarum : sed & cum omni respectu recipientes constitutionem Pii Papæ V. datam Romæ anno 1567. Kalendis Octobris, Pontificatus anno secundo, adversus errores Michaëlis Baii, Doctoris Lovaniensis, in qua leges condemnationem 79. propositionum, quam confirmarunt posteà Gregorius XIII. & Urbanus VIII. observemus & decretum ejusdem Urbani, quo prohibet librum, cui titulus, Augustinus Cornelii Jansenii, olim Iprensis Episcopi, &c. datum Romæ anno 1641. pridie nonas Martii, Pontificatus anno decimo nono. Amplectantur fideliter Constitutionem S. D. N. Innocentii Papæ X. qua damnantur ut hæreticæ quinque propositiones Cornelii Jansenii Iprensis Epscopi; datam Romæ 1653. pridie kalend. Junii, Pontificatus anno 9. ejusdem Pontificis revereantur decre-

cretum,quo Feria 5 die 23. Aprilis 1654.damnavit iterato Augustinum Cornelii Jansenii, simulque libros omnes ad ejusdem defensionem editos & edendos; ac denique abrogat quibusdam prætensis actis coram Clemente VIII. & Paulo V. simulque pseudo-bullæ Pauli V. contra doctrinam *Ludovici Molinæ*: observetur S. D. N. Alexandri VII. confirmatio, approbatio, innovatio & declaratio Innocentii X. de quinque propositionibus in materia fidei, Romæ 1656. decimo septimo kalendas Novembris, Pontificatus anno secundo: ejusdemque Pontificis constitutio, continens formulam subscribendi decretis Pontificiis adversus hereses Cornelii Jansenii, quam invenio datam Romæ anno 1664. 15. kal. Martii, Pontificatus anno decimo.

Ut ergo *Unitas dogmatica* floreat, captivemus omnes intellectum nostrum in obsequium fidei: hoc rectè intellexit Hieronymus Epist. 57. ad Damasum. *Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior, super illam Petram ædificatam scio Ecclesiam, quicumque tecum non colligit, dispergit.* Attendite quæso ne *Unitas dogmatica* à nobis lædatur, & fiat vobis sicut Babyloniis, de quibis Scriptura Gen. 11. cùm descendisset Dominus, & confudisset ibi linguam eorum, ut non audiret unusquisque vocem proximi sui, protinus cessaverunt ædificare civitatem, & idcircò (inquit Textus) vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ: quamdiu nos sumus labii unius, tam diu proficiet ædificatio corporis illius mystici; sed cum confusum fuerit labium eorum, id est dum in-

fal-

fallibili Summi Pontificis authoritati vos non submittatis, sed variiis & peregrinis doctrinis *Vnitas Dogmatica* divisa fuerit, illico cessabit ædificari Civitas Domini Dei nostri, & Cælestis illa Jerusalem brevi vertetur in Babel, ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat. *In compagen Christi* (inquit Augustinus) *tamquam in vivam structuram Templi Dei, quæ est Ecclesia nati homines, non ex operibus justitiæ, quæ fecerant, sed renascendo per gratiam transferuntur tamquam de massa ruinæ ad ædificii Firmamentum.* Firmamentum autem ædificii ex unione lapidum, id est Concordia fidelium, qui, juxta Apostolum, *tamquam cives Sanctorum & Domestici Dei superædificati, super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipsô summô angulari lapide Christo Iesu* uniuntur Glutino perfectę charitatis: quam perfectam non habet intrepidus *Vnitatis dogmaticæ* perturbator, nec magis hic unus est cum Ecclesia quam Judas, qui (juxta Augustinum) unus erat ex Discipulis Domini, & tamen jam typum gerebat hæreticorum ab Ecclesia diffidentium: ex verba ejus tract. 61. in Joan. *Vnus numero, non merito, unus specie, non virtute, commixtione corporali, non vinculo spirituali, carnis adjunctione, non cordis socius unitate:* qui enim doctrinę varietati noxiæ, non Ecclesiæ *Vnitati*, sed divisioni student. Quid aliud machinantur, qui tot novis doctrinis & Prædicatorum Cathedras, & Confessariorum Tribunalia implent? nonnè divisionem amant qui directissimè contra voluntatem Alexandri VII. censurant sententiam *de sufficientia attritionis ex metu gehennæ?* dividunt re-

vera & non colligunt animos: undè legant Decretum Sanctissimi feria V. die 5. Maij 1667. emanatum, & culpas agnoscentes Ecclesiæ uniantur in vera submissione & Reverentia erga Romanum Pontificem.

Unionem amas? noli docere Absolutionem Sacramentalem non posse à Sacerdote impertiri nisi peracta satisfactione; aliqui id ipsum dogma in Petro de Osma damnatum, & fulmine Apostòlico percussum inclamant: approbat SS. D. Innocentius XI. in Bulla quæ incipit, *Cum ad aures*, &c. data Romę 12. Feb. 1679. frequentem Communionem, & ait: *Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga SS. Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamq; ipsi, adhibito prudentiæ & judicij temperamento, alere debebunt, &c.* frequentem à venialibus Absolutionem, eamq; salutarem ex Tridentino probamus, hanc improbare est schisma excitare, sanctas Monialium aliarumq; animas turbare, fructum Sacramenti Pœnitentiæ impedire, Monasteria devotione & pace privari. Quid dicam? doctrina aliquorum hypocrisis est, juxta Chrysologum, qui sermone 7. ait: *secura simulat, fallit prospera, curiosa mentitur, & crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum .... & misericordiam miseratione prosternit.*

Nonne *Vnitatem* Ecclesiæ lædunt, qui decreta Pontificum non observant? nonne SS. D. Clemens IX. 20. Aprilis 1668. Pontificatus anno primo per expressam Bullam, quæ incipit, *Debitum Pastoralis Officij*, &c. omnibus famosam

imo

imo hæreticam versionem gallicam novi Testamenti Montibus Hannoniæ, Lugduni, seu potius Bruxellæ typis editam prohibuit? prohibuit sanè: qui ergo eandem retinent, vendunt, imo suis legendam proponunt, & pro Sacramentali satisfactione ut legant imponunt, nonne perturbatores *Vnitatis Dogmaticæ* censendi sunt? quis magister in Israël, & hęc ignorat? imo, quis sani judicij hęc non palpet? quis etiam, alioquin cæcus, hoc scelus non videt? si vis ergo esse Catholicus? *Vnitatem dogmaticam* cole, summumq; Pontificem, ejusq; Decreta reverêre nobiscum.

Sed eheu! quid Belgium non obstupescit? interdixit omnibus SS. D. Alexander VII. feria 5. die 6. Septembris 1657. ne quis legeret aut retineret *Litteras Provinciales Montaltij*, &c. quid facitis quoad hoc Novatores? Conscientia vestra sit vobis testis; quomodo *Wendrochius* in vestris versetur manibus non ignoratis, Liber dictus *Rituel d'Alet* sive *Rituale Aletense* contra Bullam SS. Domini Clementis IX. datam Romæ die 9. Aprilis 1668. qui legit Bullam & contemnit, violat *Vnitatem* desideratam. Attendite precor qui verbum paternum contemnitis, doctrinam sanam mutilatis, & dividitis portionem vitæ æternæ: accessit ad Christum Dominum *quidam de turba, & ait, magister dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem, ad quem Dominus: homo, quis me constituit Iudicem aut divisorem super vos?* Luc. 12. v. 13. explanat hanc responsionem D. Petrus Chrysologus serm. 162. *præceps*, inquit, *cupiditas & incauta eum fieri voluit*

luit divisionis Authorem , qui ad restituendam venerat humani generis Vnitatem. Si igitur Christus Dominus hęreditatem duobus fratribus debitam inter eos dividere noluit , quo pacto vos , tamquam proprij Judices , hæreditatem Patrum antiquam ſanamq; doctrinam dividitis ? divi̇ditis ſi vos ſummo Pontifici , ejuſq; infallibilitati non ſubmittitis , dum Bullas , quę vobis placent , recipitis , & diſplicentes deſpicitis. Sequimini Jeſum , qui venit ad reſtituendam humani generis *Vnitatem* , & videte , ne præceps cupiditas & incauta vos fieri velit diviſionis Authores , ne dicatis aliqua , quæ non oportent , turpis lucri gratia : qualia docuit Author monitorum minimè revera ſalutarium : non enim ex zelo , ſed potius ex invidia contra Religioſos B. V. Mariæ cultores diſcretos monita illa damnata diabolus conflavit , uti peroptimè oſtendit Clypeus Religionis , hoc anno 1679. in lucem editus : concurſus enim populi extraordinarius ad BB. Virginem colendam ad Religioſorum Templa , Imaginum Templorumq; ornatus Catholicus & debitus , Altarium nitor , Indulgentiarum copia oculos malevolentium offuſcarunt , ut inſtar furibundorum calamo ſuo in domum Dei involent , deſtituentes Imagines B. V. M. aliorumq; Sanctorum prętioſis veſtibus , ſub ſpecioſo charitatis erga nudos egenoſq; titulo.

In charitate ſincera , ſi habetis , vos laudo . ſed in hoc non laudo , quod prius Imagines veſtibus,Templa ornatu , quam vos ipſos ſericis pannis & veſtibus , pinguibus redditibus orbari

ri velitis : ex proprijs prius ſuſtentate miſeros, non ex alienis : non totum mare epotandum eſt, ut ſciatur aquam ejus eſſe ſalſam : non diu dubitandum unde proveniant libelli illi diviſionem continentes ; nam de modernorum ſtirpe hæreticorum ſcitote habere parentem : ſapiunt nativitatis ſuæ ſolum, parentumq; inſigniuntur notis : ſi enim ibi legeris calumnias in ſummum Pontificem, in Religioſos, aut, ut per contemptum dicunt, in Monachos; ſi ibi legeris blaſphemias in SS. Euchariſtiæ Sacramentum, in Deiparam, in Sanctos eorumq; Imagines ; ſi in illis offenderis (ut ait Paulus 1. Thim. 6.) *profanas vocum novitates*, quibus SS. Dei Matrem appellant, *Mariam Fabri*, vulgò *Mayken Timmermans*, Fœminam ſimilem cœteris, ejus ſtatuas *puerorum eſſe pupulas*, vulgò *kinder-poppen*, ejus Scapulare viles pannos, vulgò *lappekens*, & ſacrarum Imaginum ac Reliquiarum apparatus, *Officinas Monachorum*, quæſtus cauſa erectas, &c. tales libellos combure tamquam hæreticos & ſchiſmaticos: ſimilia ore proferentes, Judæ ſunt, & hos de vita 2. Tim. 3.

Sed qui ita fit, ut novi hi Apoſtoli libellos ſuos adeò latenter fideli populo obtrudant ? in promptu cauſa eſt ; *quia*, ut Joannes cap. 3. *dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, erant enim mala eorum opera : omnis enim qui male agit odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus : qui autem facit veritatem, venit ad lucem; ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo facta ſunt.* Ita eſt : quærit latère qui quærit peccare, decipere & abſque notâ veritatem improbare :

non docuit hanc methodum reformandi Christus, qui palam loquebatur judæis; palam in ipsorummet Synagogis prædicabat, & Apostolos docuit Matt. cap. 10. *prædicate super tecta*: non in antris, non in clancularijs conventiculis, ut nostrorum reformatorum antesignani Lutherus & Calvinus factitarunt, teste Florimundo Ræmundo lib. 7. & 8.

Verum est quidem & veritatis discipulos sua quandoq; supprimere nomina, & libros suos, nihil nisi veritatem, charitatem, *Vnitatem* spirantes, Anonymos emittere: verum veniâ digni sunt; id enim faciunt, vel quia vanas fugiunt gloriolas, vel ut quorundam malevolorum sibiq; infensorum, multâ etiam authoritate valentium, odium, invidiam, veritate tamen propalatâ, evitarent: uti perbellè præstitit ille, qui nuper, sub typo *Ignis fatuus* inordinatam novatorum nostrorum redarguit charitatem.

Vis ulterius digito monstrari quomodo *Vnitas dogmatica* lædatur? en responsio in promptu est: dum Scripturam Sacram ad proprij Spiritus motum, & non ex SS. Patrum Ecclesiæq; mente explicant; & hinc turbatio, hinc erroris patet origo: ut enim lego apud Augustinum lib. 834. Q. 469. *non potest error oriri palliatus nomine Christiano, nisi de Scripturis non intellectis:* & quomodo Scripturam intelligent, si explicationem Patrum respuant, proprio captui fidentes? sic verbum Dei corrumpitur, *dogmatica* scinditur *Vnitas*, ut benè ostendit *Canisius*, qui integrum tomum suppeditat *de corruptelis Verbi Dei*: nec

minori

minori laude & fructu nuper notas edidit doctissimas Eximius Dominus *Nicolaus de Bois*, Sacrarum litterarum in Universitate Lovaniensi Primarius & Regius Professor, in novum Testamentum (de quo ante) gallicè nuper editum, & à S. Sede damnatum. Ex proprio passionato imò hæretico spiritu prodijt libellus, cui titulus *Catechisme de la grace,* ut continens errores à Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. per Innocentium X. feria 5. die 6. Octobris 1650. damnatus: qui est ille ipse libellus, qui nuper iterum protrusus est in lucem, sed novum habens titulum: *Esclaireissemens sur quelques difficultés touchant la grace*, &c. *à Liege chez la Vefve Streel, avec permission des Superieurs.* 1679. ut autem *Vnitatem dogmaticam* magis dividant, infames libellos, utpotè propter hæreses contentas tortorum manibus in Gallia igni traditos, in vulgus spargunt. Nunquid Beginis, Monialibus, indoctæ plebeculæ nuper libellum similem à S. Sede damnatum, cui titulus *Miroir de la pieté chrestienne*, &c. prō speculo pietatis obtruserunt? vidi cum dolore, ac vehementer ingemui; nam sic, loco devoti libelli venerabilis Thomæ à Kempis, speculum promovent impietatis; ut divertant populum Christianum à Christiana simplicitate, ut sic Sacerdotium regale contemnatur, & novis doctrinis antiqua lędatur *Vnitas*: imo videntur non ulli facultatem dare velle plebi sententiam ferendi in rebus Theologicis; non enim video in quem alium finem omnes illas controversias modernas ex idiomatè latino, in scholis usitato,

in Flandricum aut Gallicum transferant. Utinam ejusmodi intenderent & attenderent Chrysologo dicenti Sermone 53. *Sacerdotis est admonere quod decet, plebis est audire quod monet, quidquid non licet, Pastoris est prohibere, gregis audire ac velle ne fiat. Vtraq; si conveniant salva sunt omnia. nec Deus invenit in plebe quod puniat, nec Sacerdos potest habere quod doleat.* In artibus mechanicis nullus est qui alterius opus audeat judicare vel in eô defectum notare, si examinandus est Sartor non advocatur sutor ut eum examinet: in Theologia autem, in re tam difficili, omnes volunt sententiam ferre etiam mulierculæ, unusquisque decreta sua rata esse vult, divinæ illius sapientiæ authoritatem minuens suis erroneis & novellis sententijs: sed undè hæc mala omnia, nisi deficiente *Vnitate dogmatica?*

Quod si enimvero inter Theologos foret pax & concordia, non tam indiscrete aliqui arcana omnia scholastica indoctis pueris & mulierculis revelarent, ut aliquod ab eis suæ sententiæ patrocinium acquirerent, quod apud doctos Viros invenire nequeunt: quod unum, mature consideratum, foret sufficiens apud cordatos sistendis intumescentium illorum ingeniorum fluctibus repagulum. Hanc aliquorum imprudentiam, ne dicam impudentiam, *fatalem* appellat *ingeniorum scabiem* in suis polyticis polyticus Lipsius, libro scilicet de una Religione contra Dialogistam: *Iure sic loquor*, inquit, *& profecto velut à Cælo & ab astro aliquo est hæc pestis, atq; ut corporum quidam morbi certis temporibus interveniunt, sic nunc iste animorum*

morum : Viri, fœminæ, senes, pueri quæstiunculis ludunt & lasciviunt, eoq; ventum ut pro parum sano sit, qui non sic insanit. Mysterium Theologia erat, facta est populare oblectamentum; vis Imaginem claram horum temporum? Nicephori Gregorij? ista lege: apud nos etiam opificibus effusa sunt arcana Theologiæ, atq; ita omnes inhiant ratiocinatiunculis & sermonibus syllogisticis, ut herbâ & pascuis (Hist. lib. 11.) armenta, & illi qui de recta Fide ambigui sunt, & qui nec quomodo credendum sit sciunt, nec quid sit illud quod credere se dicunt, illi inquam & fora & porticus & theatra omnia Theologia compleverunt, neque solem hunc testem facere impudentiæ suæ reverentur. Quomodo autem non sit absurdissimum, olim quidem cum florerent gentilium Dogmata, ordinem aliquem fuisse, & arcana quæ Delphorum Theologis commissa erant nulli alij edicere vel indagare licuisse, sive is Plato sive Socrates, aut alius sapientiâ celebris fuisset: apud nos verò, qui purum pietatis Mysterium profitemur, ita profanari res Divinas, & omnibus qui de Theologia disserere volunt id licere suoptè arbitrio & suffragio? Jam dissidia & ambitionem, quæ inter capita factionum & Duces pulchrè idem exprimit & deplorat: *Factionum verò Principes inter se digladiabantur, & linguas contra se mutuo armabant, non zelo Divino sed iracundiæ impetu ducti: nam qui secundum Deum est zelus, à superna potentia dependet, & Divinâ quadam ac moderata concinnaq; ratione gubernatur: qui verò mentis suæ fores ambitioni aperiunt, ij non vident zelum suum in æmulationem & odium converti & pro frumento, uva, cæterisq; bonis fructibus, spinis & tribulis.*

Unde

Unde qui rixis & contentionibus Theologiam replent , aut replere ſtudent, hi Theologiam ipſam annihilare quærunt : Theologia enim eſt vera & perfecta hominis ſapientia ; quid autem ſit ſapientia definivit D. Bernardus , cum dixit, ſapientia eſt ſapida ſcientia : Eſt , juxta nomen ejus Latinum , ſapida & ſuavis ſcientia : ſed nunquid Theologiam deſtruunt, qui hanc ſuavem & ſapidam ſcientiam convertunt in amaritudinem diſcordiarum & diſſenſionum Scholaſticarum ? Sapientia Theologica eſt ſapidus quidam divinarum rerum guſtus , certum eſt quod non invenitur altercantibus & diviſis cordibus : non diſcordia , ſed *Pax Fratrum* (juxta Chryſologum Sermone 53.) *voluntas eſt Dei, jucunditas Chriſti perfectio eſt ſanctitatis, juſtitiæ regula, magiſtra doctrinæ, morum cuſtodia, atque in rebus omnibus laudabilis diſciplina.* Diſſentiones in doctrinalibus concomitantes habent, contentionem in ore , de quâ Apoſtolis 2. Tim. 2. *Noli verbis contendere* ; & diſcordiam in corde : unde ſicut contentio contrarietatem quandam importat in locutione , ſic diſcordia contrarietatem quandam importat in voluntate ; ita ut , quando non eſt unio opinionum , rarò ſit unio voluntatum : *Vnitas* doctrinalis eſt *unitas* quædam particularis aliquorum ad invicem : *Vnitas autem particularis aliquorum ad invicem ordinatur* (ut D. Thomas 2. 2. q. 39. art. 1.) *ad unitatem Eccleſiæ , ſicut compoſitio ſingulorum membrorum in corpore naturali ordinatur ad totius corporis unitatem.*

Attendite quæſo , dum Cathedras aſcenditis

vel

vel in Scholis vel in Templis, nil amari in fratrem lingua proferat nil novi; ut ædificetur per vos Templum Spiritus ſancti, quod eſt anima fidelis : ſi enim voluit Deus, ut duo Reges & natione & religione diverſi, Salomon & Hiram, magnam in amicitiam conſpirarent, ad Templum Jerozolymis ædificandum : *Erat Pax* (inquit Textus) *inter Hiram & Salomonem, & percuſſerunt ambo fœdus.* 3. Reg. 5. v. 12. quanto magis illi qui incumbunt dilatandæ Eccleſiæ, Evangelio prædicando, eſſe debent, non tam ſanguine, quam amore Germani? *Non enim* (inquit D. Paulus Rom. 10. v. 12. *eſt diſtinctio Judæi & Græci* : quod planè verum eſt, cum illi omnes in eandem fidei & charitatis neceſſitudinem coaleſcunt : Unum ergo faciat charitas, quos natura aut patria facit eſſe diverſos. Quod mihi videtur Eccleſia à Deo verbis poſtulare Davidis, dicens : *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.* Pſalmo 85. v. 11. ſeu, ut legit & exponit D. Hieronymus, *unicum fac cor meum, ne ſit multiplex, & diviſum in plures cultus eorum* : non enim debent Principes & Doctores Eccleſiæ, Theologiæ Magiſtri, Verbi Dei præcones (qui in medio illius ſunt inſtar cordis) in diverſas ſententias, tanquam in plures partes diſſecari.

Hanc *Vnitatem* promovere admonitionibus ſacris, hanc diſcordiam impedire gladio ſpirituali deberent Summi Paſtores: ſed quid dicendum? ſi pars una noxiâ gaudet libertate ſimul & authoritate; alii, dum veritatem chriſtianè & debitè defendunt, à concionibus ſuſpenduntur innocentes;

ut

ut non ſit qui poſſit contradicere ſpiritibus malignis : *Sic parcunt corvis, vexat cenſura Columbas*; hocq; falſis teſtimoniis aliquando apud Epiſcopos Novatores efficiunt, ut non propaletur venenum quod ſub novellis doctrinis latet : deinde ait : Gregorius in caput 24. Job cap. 22. *Hæretici ideo eos conantur auferre qui prædicant, ut eorum etiam ſequaces trahant* : quod ſi authentice probetur novatorum quempiam ſcandaloſe (tamquam verum impoſtorem) ſcommata in integras Religiones etiam ex Cathedris effudiſſe; imo ſi Calvinum & Lutherum, peſtes illas teterrimas, non tantum veneni protuliſſe, quam Religioſos aliquos, afferat, &c. ô venenata verba : quod ſi (dico) talia impune permittantur : quod ſi indebite negetur Paſchalis Communio, immo & Eccleſiaſtica Catholico ſepultura, & tales non feriantur gladio ſpirituali. Quid dicendum ? dicit D. Bernardus, non ego : Serm. 66. in fine : *Dolendum valde quod non ſolum laici Principes, ſed & quidam de clero, nec non ordine Epiſcoporum, qui eos magis perſequi debuerant, propter quæſtum ſuſtineant, accipientes ab eis munera & quomodo (inquiunt) damnabimus nec convictos nec confeſſos ?* Quamvis hæc verba in hac patria nullo modo vera autumo & ſpero: attamen proponit D. Bernardus, quomodo nimis cum hominibus diſcolis aliquando diſſimuletur : & propter unum (ut ipſi faveatur) omnia effugia adhibeantur, & alius inaudita parte, ratione negata, ex falſo teſtimonio condemnetur : quod ſi quis ſimilis inveniretur (quod Deus avertat) nonne talem Epiſcopum cauſam

sam scandali & schismatis existimares? sine dubio : hunc tamen laudarent, hunc Novatores extollerent, uti factum scribit de *Donato* Augustinus Fragm. cap. 6. *Donatum* (ait) *Donatistæ pro Christo habent, si audiant aliquem detrahentem Christo, forsitan patienter ferant, quam si audiant detrahentem Donato.* Sic interesse dominabatur & dividebat : sed ut de unitate sermo progrediatur : Cogitate quibus verbis Deus Ecclesiam sponsam suam alloquitur, dum hæc legitis verba. Cant. 4. v. 9. *Vulnerasti cor meum in unô oculorum tuorum* : per oculos, Rectores Doctoresque Ecclesiæ intelliguntur, eorumque *Vnitas* declaratur amabilis ; sic enim interpretatur D. Thomas : *Bene*, inquit, *cum superius pluraliter dixerit oculos : hic singulariter in uno oculo dixit, ut per hoc unitas Sanctorum*, Doctorum, Prædicatorum, *exprimatur.* Quæ Deo placebit, si superior æquali charitate & zelô, in vinculô pacis omnes complectatur ; tunc sanctum opus subditorum erit in concordia non ficta ; sicque educet in manu Ecclesiasticâ Filios Israël Altissimus ad terram promissam : nam, dum ait Scriptura sacra ; quomodo Deus eduxit populum suum de Ægyptô, *in manu Moysi & Aâron*, Num. 33. v. 1. reflectit Origenes Hom. 27. *in manu Moysi & Aâron eduxit eos Dominus, & non in manibus : unum enim opus utriusque manus est, atque una perfectionis expletio* : ac si illi duo Hebræorum ductores tantam inter se concordiam haberent in operando, ut unâ eademque manu usi viderentur : unde, sicut eâdem uterque manu, ita eôdem uterque sceptrô utebatur :

patet

patet ex eô, quod Moyſes Aâron allocutus dixerit: *Tolle virgam tuam.* Exodi 7. v. 9. cur potius non dixit: Tolle virgam *meam ?* Moyſi enim data fuerat virga illa, non Aâroni, ut patet Exodi 4. v. 17. reſpondet D. Auguſtinus q. 20. in Exodum: *Erat utrique illa virga communis, ut cujuſlibet eorum diceretur, verum diceretur.* Ut *Vnitas* prædicta concorditer poſſideatur, neceſſe eſt; ut virga Epiſcopalis omnibus ſit communis, feriat delinquentes, ſuſtentet innocentes: ſi enim unus deſpiciatur, alter exaltetur, ſecundum *conſilium aliquorum*, & non paternè recipiantur charitate Apoſtolicâ, quomodò Regnum Dei ſtabit?

Ut autem ſit *Vnitas Dogmatica*, æſtimanda SS. Patrum dogmata: plena autem ſunt hæreticorum ſcripta improperiis in Patres, quos erroris, contradictionis & tenebrarum accuſant, ut liberius jugum authoritatis excutiant. Hos ſecutus videtur Janſenius, qui Patres Auguſtinô anteriores paſſim erroris Pelagiani & Semipelagiani accuſat: undè nec habenda ipſi fides, dum ait: Auguſtinum Eccleſiæ, non Eccleſiam Auguſtino tradidiſſe doctrinam de gratiâ. En quam ſibi contrarius! contemplemini, ſi placet, quanti authoritatem Auguſtini & ipſe, & Novatores, æſtimaverit; delegit hunc ex omnibus venerandum: præterquam tamen quod tribuendo falſas & damnatas illi ſententias, ac patribus aliis contrarium ſtatuendo, quantum in ſe fuerit, authoritatem ejus in diſcrimen adduxerit, non eſt veritus ei errores plures adſcribere tom. 1. lib. 8. cap. 15.

vi=

viginti circiter annis Episcopo scribenti, lib. de Spiritu & litt. cap. 33. Semipelagianum errorem assignat, sed falsissimè, lib. 3. de Statu naturæ puræ cap 19. Augustino adscribere non dubitat, quæ, judicio suo *ad diversas impietates, ad blasphemiam in Deum, ad Manichëismum cogunt* lib. 3. de Gratia Christi cap. 20. vult eum cum Pelagianis omnibus in intelectu loci illius ex Apostolo *Deus vult omnes, &c. usque ad Episcopatum Hallucinatum.* Quid obstupescitis? nolite mirari; tales enim sese omnibus, etiam SS. Patribus, proferunt, & quod somniant dicunt: Sic & Novatores omnia sua in sacris litteris fundata asserunt, & spiritum suum spiritui antiquorum Patrum præferunt; imò & Summo Pontifici, si quid adversus eos definit. Cum tamen S. Cyprianus lib. 1. Epist. 3. ait: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex, vice Christi, cogitatur.* Adde & D. Thomam 2. 2. q. 11. art. 2. ad 3. *Hæreticus censetur, qui pertinaciter repugnat determinatis authoritate universalis Ecclesiæ, quæ quidem authoritas principaliter residet in Summô Pontifice: contra cujus authoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sacrorum Doctorum suam sententiam defendit.* Sequuntur hunc SS. Patres, nos autem & hos veneremur. Quanti ergo ab Ecclesiâ Catholicâ auctoritas SS. Patrum sit æstimanda, disce à Conciliis generalibus, præsertim à magno Chalcedonensi Concilio Act. 1. & 2. lege sensum Ecclesiæ Rom. lect. 6.

Festi

Festi S. Gregorii magni in Brev. Rom. ubi affirmat, quod SS. hic Pontifex *quatuor Conciliis Nicano, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi tamquam quatuor Evangeliis honorem haberi voluit*: omnia vero horum Decreta ex SS. Patrum sententiis sunt collecta: à Mariano Augusto (ut in Epist. Famil. quinto capite disertissimè scribit Eximius P. ac M. *Christianus Lupus*, ex Ordine S. P. Aug. Doctor Lovaniensis) admoniti Episcopi, in magna Synodo Chalcedonensi, quatenus læsam ab Eutychete fidem, non tantum juxta tres Priores Generales Synodos, sed & juxta Gregorii, Basilii Athanasii, Hilarii, Ambrosii, Cyrilli, aliorumque Patrum traditionem firmarent, una voce responderunt: *Docuerunt Patres, & in scriptis custodiuntur, quæ ab eis sunt exposita, & citra ea dicere non possumus.* Et gloriosissimis judicibus fidei definitionem tandem condi urgentibus, denuo responderunt: *Si jubetis nobis dari inducias, petimus Patres simul perscrutari*, & edita tandem fidei definitio hoc habuit exordium: *Inerrabilem Patrum renovavimus fidem.* Et rursum. *Sequentes igitur sanctos Patres.* Et sextæ generalis Synodi ad Constantinum Augustum sermo acclamatorius hæc habuit. *Paternas traditiones secuti sumus, & nihil dissonum aut discrepans ab eorum informatione adinvenimus*: & legite quæ ad Marcum Ephesiorum Metropolitam dixerit in Florentinâ Synodo Frater Joannes de Monte Nigro: hæc ejus sunt verba: *Sanctus Basilius & hujusmodi Doctores, sunt fundamenta nostræ fidei.* Et infra. *Ego dixi vobis illud, in quod ultimo sancti Patres ge-*

generalium Conciliorum omnia resolvebant, semper fuisse SS. Patrum testimonia, ita ut in unaquaque definitione Fidei decretum edituri proferrent Patrum testimonia, & omnes acquiescerent. Proinde nos veri Catholici dicimus, quod generalia Ecclesiæ Concilia, & Sancti Patres sint duo Seraphim, qui ultro citroque cantant honorem Deo omnipotenti ac sese invicem inerrabili authoritate sustentant, nosque in vera Fide confirmant.

Quod si Novatores sanctos æstimarent Patres, & summi Pontificis definientis revererentur infallibilitatem, salva essent omnia. Nec mihi indignemini, quod vos indigitem nomine Novatorum, cum de antiquis gloriamini Canonibus? dico vobis cum Cretensi; *valeant novitates partim ex inscitia, partim ex intolerantia arrogantia nata.* Et *quisquis* (S. loquitur Hieronymus Epist. ad Pamach.) *assertor es novorum Dogmatum, quaso ut parcas Romanis auribus; parcas Fidei, qua Apostolorum ore laudata est.* Sed dicetis; dicta hactenus adversus novitates ad nos nihil, qui non novorum sumus architecti dogmatum, non novos cudimus Religionis ritus; at verò antiquos Ecclesiæ instauramus Canones, ac primitivorum Fidelium praxes; quinimò novitates insectari unicum nostrum studium est. hæc quidem speciosè jactant, quotquot sese Ecclesiæ ingerunt, quantumvis importunè reformandę: at Viri sapientissimi ac genuinô zelo accensi jam dudum has larvas detraxerunt: quod verò ad hunc nostrum discursum spectat, illud vos scire velim; non eos solum super inducere nova, qui dogmatizant planè recentia,

ſed & illos, qui contra præſentem pacificè ac legitimè poſſidentem conſuetudinem, abſque legitimâ authoritate opportunè importunè moliuntur reſtituere eos uſus ac praxès; quæ cum nuper quidem fuerint, modò ſint abolitæ, idq́; Eccleſiâ universâ, ejuſq́; ſummô Paſtore Romano Pontifice pænitus ſciente & approbante: hi inquam, nova quoq́; inducunt inventa (juxta *Calepini* vocis *novus* interpretationem) & tumultus cauſant, ac meditatas Concordiæ inſidias ſtruunt. Ut autem vobis ad oculum hoc ſit demonſtratum, ſubjectas ſolum Eccleſiæ primitivæ ac antiquæ cupio obſervari ac contemplari praxes & Canones.

Primò, an non meritò haberetur Novator, qui Eccleſiarum Antiſtites ad Apoſtolorum ac Diſcipulorum Chriſti adniteretur reducere paupertatem ac ſimplicitatem, velletq́; proinde, hic præſertim Belgio, eos incedere pedeſtres, aut nudipedes, abſq́; Rhedis, & honorificô famulatu? *Secundò*, nonne nova divenderet, qui Clerum univerſum communem juberet ducere vitam, ut primitus ſervatum fuit in Eccleſia? *Tertio*, an non nova induceret, qui hodie vellet etiam à Laïcis Euchariſtiam domum deferri, ſuo tempore ſumendam, ac per vias ad pectus deportandam, ut antiquitus practicatum tradit *Spondanus* ad annum Chriſti 57. Quid ad hæc adferre poteſtis? quid reſpondere, qui re novatores eſtis, & nomine carere vultis. Sed pergite mecum Antiquitatem perſcrutari. En *Quartò*, Canone 39. Concilii Altiſiodorenſis: *Vnaquæq; mulier, quando communicat, Domi-*

ni

nicale suum habeat, quod si non habuerit, usque in alium diem Dominicum non communicet: Dominicale erat mundum linteum, quo fœminæ recipiebant Sacram Euchariſtiam. *Quinto*, Caput 51. Concilii Carthaginenſis 4. 214. Epiſcoporum hæc habet verba: *Clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quærat:* O Domini mei, hæc verba ſemel repetite, & manus veſtras reſpicite. *Sextò*, addatur Caput 52. ejuſdem, ubi ſic: *Clericus victum & veſtimentum ſibi artificiolo vel agriculturâ, abſque officii ſui detrimento præparet. Septimò*, Capite 53. ejuſdem: *Omnes Clerici, qui ad operandum validi ſunt, artificiola & litteras diſcant. Octavò*, ad ſolatium pauperum Religioſorum, qui nomine Fratrum denotari ſolent, habetur Capite 54. ejuſdem: *Clericus invidens Fratrum profectibus, donec in vitio eſt, non promoveatur.* Vultis, antiquorum Canonum declamatores, adhuc alios? deſideratis forſan, tamquam publicæ pœnitentiæ Præcones, Canones pœnitentiales? en adſunt: Ait Canon 1. Pœnitentialis: *Quod ſi Presbyter fornicationem fecerit, Pœnitentiam decem annorum faciat, hoc modô: ſcilicet quod ſit incluſus, ſivè à cæteris in aliquô locô remotus, ſaccô indutus, & humi proſtratus miſericordiam Dei implorans.* Ubi conſequentur aliæ plurimæ præſcribuntur auſteritates publicæ ac privatæ: an fortè illas vultis introducere? Canon ſecundus pænitentialis primo jungatur, ubi ſic habetur: *Si Presbyter cognovit Filiam ſuam ſpiritualem: quam ſcilicet baptizavit, vel in Baptiſmo vel in Confirmatione tenuit, vel quæ ſibi confeſſa fuerit, debet Pœnitentiam agere duodecim annis.*

Habet & Canon pænitentialis trigesimus hæc verba : *Qui blasphemaverit publicè Deum, vel aliquem Sanctorum, & maximè B. Virginem* (ô utinam hęc legerent omnes Ante-mariani !) *illi debet Episcopus hanc Pœnitentiam injungere : scilicet, ut septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ in manifesto dum Missa cantatur ; existat, & ultimo illorum dierum Dominicorum pallium & calceamenta deponat, & corrigiam ligatam circa collum habeat ; & septem præcedentibus sextis feriis in pane & aqua jejunet, nullatenus Ecclesiam ingressurus :* & aliis pœnis superadditis.

Quid dicis jam indiscrete monitor ? Apostolorum Canon 9. hæc nobis exhibet : *Quicumque Fideles Ecclesiam ingrediuntur, & Scripturas audiunt, neque apud Preces & Sanctam Communionem permanent, eos tamquam qui Ordinis in Ecclesia perturbationem,* NOTA BENE, *inducant, à Communione arceri oportet.* Adest & Canon 53. Apostolorum, qui sic se habet : *Si quis Clericus in Caupona cibum capere deprehensus fuerit, à Communione excluditur.* Et Canon 56. Apostolorum declarat : *Si quis mancum, aut mutum, surdumve aut cæcum, aut eum, cui vitiosus incessus est, subsannaverit, Communione privator ; consimiliter & Laicus.* Ulterius legite Canonem 59. Apostolorum, & invenietis hęc verba : *Si quis falso inscriptos impiorum libros tamquam Sacros in Ecclesia ad populi & Cleri corruptionem publicaverit, deponitor.*

Ultimò considerate quid dicat Canon 51. Apostolorum : *Si quis Episcopus, aut Presbyter eum, qui à peccato revertitur, non recipit, sed rejicit, deponitor.* O Verba solantia miserum

pec-

peccantis animum ! Si quis premissas (ex aliis innumeris) primitivæ Eccesiæ praxes, ac Canones omnes, aut fortè vel unum aliquem hodie adniteretur restaurare, vix dubito, & ne vix quidem quin ab ipsis antiquarum praxium ac Canonum recusoribus, aut exsibilaretur ut novus ac improvidus Dogmatistes, aut proscriberetur ut perniciosus pacis turbator. Liquido proindè constat, novorum aut novatorum nomina, nedum venire inaudita, ac nunquam usitata, sed & antiquata & abolita. Novatores ergò vos appello, propter rationem jam intimatam. Nolite interim ex hoc *Vnitatis* meæ discursu sumere fœcundum discordiæ seminarium : Quod enim scribo, jure scribo, concordiæ causa scribo : Apis es, dulce pacis quærens legere mel ? oblati per me flores dabunt. Aranea es ? & mel convertes in veneniferum fel: attende ad illa, quæ habet Benedictus XI. extravag. *inter cunctas* de privilegiis videlicet, *quod plerumque pariunt* Novitates *discordiam, præsertim dum ab eo, quod diu æquum visum est, per novam constitutionem receditur* (& nota, quanto magis, quando propria auctoritate) *nec quare recedatur utilitas evidens, aut alia causa subest.*

Cum ergò pariant, præter contentionem & discordiam, inter fideles Dogmaticæ dissentiones odium, quod è diametrô repugnat charitati, & per consequens tollit omnem *Vnitatem* Ecclesiæ, quæ est effectus solius amoris seu charitatis : movet enim Spiritus sanctus per charitatem singulos fideles ad ea discenda &

docenda, quæ tota collectio Catholica proponit, quam ipse unctione suâ divinâ docet; & per hoc ad constituendam *unam* Ecclesiam Catholicam, in *unitate* fidei & morum perenniter permanentem, instruitur.

Denique si finem Ecclesiæ spectes, hic *unus* est, nempe fidelium salus; ad hoc *unum* omnia, quæ in Ecclesiâ sunt, tendunt: Quapropter Apostolus 1. Cor. 3. *Omnia*, inquit, *vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas*; id est, omnia ad vestram salutem instituta sunt. Sed si doctrina Christiana non est *una*, sed divisa; & alia sit Pauli, alia Apollinis, alia vero Cephæ, non solum varietate opinionum, sed etiam divisione animorum, profecto non tendit illa ad salutem, sed ad perniciem animarum.

Ipsa doctrina Patrum (quæ verè in se continet depositum veritatis) ipsa nequidem in Ecclesia admittenda, nisi sit *una*. Videtis itaque quam necessaria sit Ecclesiæ *Vnitas Dogmatica*, sive doctrinalis: ipse namque Spiritus sanctus, dividens singulis prout vult, voluit Ecclesiam Catholicam esse *unam*, non solum *unitate* fidei, sed etiam *unitate* doctrinali: hinc fit, ut inter Ecclesias, quæ videntur omninò separatæ, non solum oporteat sit convenientia in Fide, Spe, Charitate, & Sacramentis, sed etiam colligatio partis ad partem in *unitate Doctrinæ*, quæ est Ecclesiæ bonum, utpotè conservativum ipsius esse Ecclesiæ, in quantum unius totius rationem habet.

Solliciti igitur sitis servare *unitatem* spiritus

in

in vinculô pacis : submittite vos in omnibus Ecclesiæ sanctæ Dei : Pontificis observata decreta infallibilia ; cui dico cum S. Bernardo lib: 2. ad Eugenium Papam ; *Tu Princeps Episcoporum , tu hæres Apostolorum , tu primatu Abel , gubernatu Noë , Patriarchatu Abraham , ordine Melchisedech , dignitate Aâron , auctoritate Moyses, judicatu Samuël , potestate Petrus , unctione Christus:* ut Ecclesia Dei , in pacis *unitate* fundata , perfectam in Christo teneat disciplinam , sicque B. V. MARIÆ honor erit debitus , Pontifici Obedientia necessaria , Sacramentis praxis consueta & sancta , Deo gloria , qui est trinus & *unus*. Amen.

PARS SECUNDA.

UNITAS POLYTICA.

Potestas & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.
Job 25. v. 2.

Concordia fratrum & amor proximorum.
Eccli. 25. v. 2.

DIvus Leo Papa Sermone 5. de Jejunio ait: *Contra communes hostes pro Salute communi, una communis debet esse vigilantia:* Cumq; omnis ille, qui *Vnitatem dogmaticam* lædit, etiam *Polyticam* turbare dignoscitur, omnibus tam Ecclesiasticis quam Polyticis vigilandum est pro salute communi. Hæc enim necessaria *Vnitas*, hæc quippe est gluten, quô tam multa & diversa Reipublicæ membra conglutinantur, unumq; efficiuntur.

Loquens olim Deus ad Moysen, ait illi Genesis 8. *Fac tibi Arcam de lignis levigatis, mansiunculas in ea facies, & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus,* ne scilicet aquæ ingredi possent: hæc Arca non solum Ecclesiæ, sed cujuscumq; Reipublicæ benè constitutæ typum gessit; debet enim hæc non minus quam illa bitumine charitatis intrinsecus & extrinsecus liniri, ne inundantes dessentionum aquæ eam penetrent,

&

& à fluctibus hauriri faciant : & ficut ligna Arcę illius oportuit dolari , & ex eis , ut optimè conjungerentur , nodos corticésq; profcindi , ita oportet & nos ab omnibus paffionibus, rixis & contentionibus feparari , & quafi afcia poliri ; alias proximis noftris in *Vnitate* pacis & amoris vinculo conjungi impoffibile erit. Hæc omnia præftat *Vnitas doctrinalis* ; quod fi enim unanimiter & uniformiter Prædicatores & Doctores populi imperfectiones & paffiones interpretarentur , brevi forent in Republica , quafi afciâ , polita omnia : fed fi quis excufat quod alter arguit , quid mirum fi adhuc varii in ea nodi & cortices fimultatum & difcordiarum inveniantur ? quid ftupendum , fi Reipublicæ membra tam diverfa , per nexum fraternæ dilectionis non conjugantur ?

Inter Entis genera, ut volunt Philofophi , folum Relatio , Actio , & Paffio jungunt feparata. Actione & Paffione junguntur Cœlum & terra : effe Relativo totum Univerfum ; fed maximè Refpublica , quatenus eft hominum collectio unita : ex qua unitate apponitur fingulis de Republicâ effe relatum , fcilicet effe partem unius numero populi , communitatis , &c. & per hoc unicuique eorum apponitur dependentia à totô : Sed per varitatem Dogmaticam dividitur homo ab homine , Civis à Cive disjungitur , & quod fæpius accidit , excufsô communitatis jugô , aut legitimo Regis Imperiô , novum fibi Regiminis ftatum eligunt , in diffidio Reipublicæ & divifione lætantes. Civitas dicitur , quafi Civium unitas ; fed

ibi

ibi difficilius servatur unitas, ubi magis periculum est ne distrahatur populus variis Religionibus. De multitudine vulgi ait S. Hieronymus in cap. 21. Matth. *Semper turba mobilis est, nec in proposita voluntate persistens, atque in morem fluctuum diversorumque ventorum huc illucque transfertur.* Unde superveniens novitas nociva est statui & regimini polytico, teste Gregorio Nazianzenô Orat. 1. de pace, ubi sic ait: *Nihil eos, qui sincero animi affectu Deum colunt, æquè inter se conciliat, atque consentiens de Deo Doctrina; quemadmodum contra nihil ad dissidium ita promptum & paratum est, ut diversa in hâc re animorum sententia.* Et sicut à mala arbore nullus fructus bonus, sic nil certius in Republicâ Catholica, quam à novitate omnia noxia nasci.

Naturale est Novatoribus tentare, imo dividere potentias Magnatum, Regibusque Coronas & Sceptra (quantum possibile) eripere, ac Monarchiam destruere. Vidit Gallia & legit aliquorum Novatorum libellum, sub titulô: *Expositio paraphrastica articulorum Confessionis Anglicæ*, quô voluerunt sensum quasi Catholicum fraudibus dare: Audi quid habeatur Analysis Fidei lib. 2. fol. 273. *Tandem cum ex pactis initis populum inter & supremam potestatem initium nanciscatur omnis Societas, &c. Certè si quid hisce legibus contrarium juberet authoritas suprema, velletque apertè erigere Imperium voluntarium & gratuitum, ac diceret, stet pro ratione voluntas; eo ipso ab obedientiâ hujuscemodi præceptis exhibendâ liberarentur subditi ejus.* Adde ejusdem lib. 2. cap. 9. pag. 464. verba hæc: *Iam supra diximus, omnem*

omnem authoritatem seu potestatem Superiorem ex libero & rationi consentaneo pactô originem trahere. Et pag. 462. *Certum & indubitatum est, omnem justæ superioritatis & authoritatis veram potestatem, ex pacto principium nancisci, hoc est; ex plurium liberæ consensione in supremæ alicujus potestatis electionem.* Et laudato cap. 9. *Quod hactenus de non obtemperando dictum est, ad obstandum etiam transferri potest; quâ namque ratione subditi ab obsequiô imperanti præstando liberati & soluti sunt, eodem jure illis etiam licebit eidem Imperio obsistere, illudque oppugnare.*

En dogmata novatorum, quæ ita tunc moverunt Polyticos & Regni Ministros, ut unanimiter concluserint, nullam prorsus tolerari posse novitatem: nam sicut *unitas* Christiana Dogmatica causat polyticam quietem, sic divisio causat tumultum: undè in laudem Catholicæ Religionis ostendit Tertullianus in Apolog. cap. 1. quod verus Catholicus *unitatis* sit amans, nilque mali legibus Imperii etiam infidelis inferre possit aut velit, ait enim: *Quid hic deperit legibus in suô Regno dominantibus? si denotatur gloriatur, si accusatur non defenditur; interrogatus, vel ultro confitetur, damnatus gratias agit.* Et cap. 30. ostendit, quid debeat verus Catholicus agere respectu sui Superioris, dum dicit: *precantes sumus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, Imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum.* Docet enim Religio antiqua, quod orare teneamur non solum pro Imperatoribus, Regibus & Principibus terræ; sed quoque

que præceptum esse nobis etiam pro Inimicis orare, & persecutoribus nostris bona precari.

Econtra; si petas à quodam Novatore, an sit Novator? ab illo, qui Jansenismum profitetur, an sit Jansenista? Respondebit quod non; dicet, non novi eum, nec doctrinam ejus. Si libros ipsorum legas & charitatem quæras, quam habere debent erga Episcopos, Doctores, Predicatores, aut alios Catholicos Romanos ipsis adversantes; quæres, sed non invenies nisi injurias, scommata & anathemata, &, loco Præcum & Congratulationum, non reperies nisi maledictiones & impræcationes contra Reges: En quam longè differant à Spiritu antiquorum Patrum! Propter hanc rationem infidelis *Solyman* audiens, quid de novitatibus Lutheri dixit: *Ecce homo, qui facilè destruet Christianitatem*, & animadvertens, quod secta illa accresceret in Transilvania, Reginæ *Isabellæ* intimavit, quatenus ejusdem Professores ex Regnô propulsaret; quia, ait, illorum novitates nil nisi schisma causare possunt, & Regni perditionem: undè & sapiens *Sigismundus* Rex Poloniæ, restitit novitatibus, easdem inhibens sub pęna lesę Majestatis divinæ & humanæ: at Filius, Patre mortuô, non volens sequi Consilia Eminentissimi Cardinalis *Hosii*, citò expertus est Regni Statusq; mutationem, acclamantibus Novatoribus, se Regem non noscere, nisi spinis coronatum.

Moribus antiquis, ait *Ennius stat Res Romana*; doctrinâ antiquâ stabit Regnum, novâ evertetur. Ad hoc invigilent ergò omnes pro salute

com-

communi & perenni ergà Monarcham noſtrum Reverentia in Fide Catholica, & ſincerâ ergà Summum Pontificem Obedientiâ, ne quid novi irrepat: ad hæc autem requiritur poteſtas polytica contra illos, qui ſummi Paſtoris juſſa ad libitum ſuum ſolum obſervant; vix quaſi ſpirituale fulmen timentes; dum, non obſtantibus Cenſuris Eccleſiæ, in ſuâ pergunt novitate, nec à Cenſuris in veros Eccleſiæ ſubditos abſtinent.

De hâc autem neceſſitate Leo Epiſt. 21. ad Pulcheriam Auguſtam ſcribit: *Res humanæ aliter tutæ eſſe non poſſunt, niſi quæ ad divinam conſeſſionem pertinent, & Regia & Sacerdotalis defendat authoritas.* Sacerdotalis ergò & Pontificia per Regiam defendatur, hoc petunt omnes *Vnitatis Dogmaticæ & Polyticæ* amantes: ad hoc, ut induceret Leo Theodoſium Auguſtum, ſcripſit in Epiſt. 24. hæc verba (quæ utinam legerent & ponderarent Monarchæ Catholici!) *Cum enim*, inquit, *Eccleſiæ cauſâ ſtatum Regni veſtri agamus & ſalutis, ut Provinciarum veſtrarum quietô jure potiamini, defendite contrà hæreticos* (contra Novatores modernos) *inconcuſſum Eccleſiæ ſtatum; ut & veſtrum, Chriſti dexterâ, dedendatur Imperium.*

Ut ergò Antiquitas defendatur, hortatur *unio*, quæ Eccleſiam inter & ſtatum Chriſtianum tam firma eſſe debet, quam unio corporis & animæ: nam Eccleſia (ut benè advertit, nunquam ſatis laudatus, *S. Franciſcus de Sales*) eſt ſtatui Chriſtiano; quod anima corpori, quorum agitationes & motus communes ſunt:

Animæ

Animæ, ut principio vitæ; corpori, ut subjecto vitæ materiali: & sicut corpus ordinatum est, ut anima possit exercere sensibilia, sic status Christianus est ordinatus, ut pro Ecclesiâ executioni mandet decreta & mandata, sub tam severis pœnis, ut Isaias dicat cap. 60. *Regnum, quod non servierit tibi, peribit.* Deinde, cum Ecclesia sit infallibilis in doctrinâ & moribus, Princeps Christianus permittere non potest, ut aliquas Novatores mutent leges earumque usum sine participatione criminis, casu quo potest impedire: nam injunctum sibi officium obligat ipsum, cum in statu suô sit Vice-Rex Christi (qui est *Rex Regum & Dominus dominantium*) ut plus æstimet Ecclesiam, usque ad consumationem sæculi permanentem, quam status transitorios, quos sub se solâ, tamquam membra, comprehendit.

Ulterius verò considera, quod schisma (incipiens per novitates in aliqua Regni parte) hæresi periculosius sit, quæ notabilem secum adfert distinctionem inter Christianos, tam diversitate Templorum, Mysteriorum, quam Fidei professione: At in schismate, in navi Divi Petri omnia mixta: Cumque Domesticum malum pejus, pejusq; schisma occultum, quam hæresis aperta: ad hanc enim expugnandam uniuntur omnes; verum schismate Ecclesia in se divisa portat semen belli civilis in sinu suô. Ut autem pestis hæc innotescat, innotescat & simul quod Novatores semper affectent speciosum habere titulum & nomen Sanctitatis, austeræ vitæ, Ecclesiæ Reforma-

torum; uti patuit in Lutherô, Calvinô, &c. quod animadvertens Bucero Erasmus dixit de Calvinô: *Video magnam pestem oriri in Ecclesiâ contra Ecclesiam*: Si ergò Reformationis nomen audias, & authoritatem Pontificis non advertas, schisma time, & sub reformationis titulô hæresim pertimesce.

Quid non factum sub hoc titulô in causa Cornelii Jansenii? ut reformaret materiam de gratiâ, nonne schismata causavit, & hæreses quinque peperit? testes Pontifices Summi, qui fulmen Apostolicum in manu tenentes, suaviter tamen & prudenter in hâc tam gravi causâ procedentes, tandem Apostolica & infallibili authoritate, etiam in sensu ab ipsô intento, easdem condemnarunt: Et cum omnia, quæ hactenus Belgium turbant, ab ipsô tamquam capite dependeant, atque ab hôc fonte venenatô dimanent rivuli amari modernæ doctrinæ (non autem à 65. propositionibus, nuper à sancta Sede justè condemnatis, utpotè quarum plurimæ in hoc nostrò Belgio fuere inauditæ) perpaucis hìc aliqua notabo authentica; quibus tacitè consideratis, eò melius indies accrescentes novitates impedire poteritis, dum Patri non dissimiles cognoscetis proles.

Maturè igitur, quæsò, perpendite: primò, quod viri doctrinâ & zelô eminentes ex Novatorum scriptis, concionibus, Sacramentorum administrationis praxi (taceo, quod loquantur de quinque propositionibus tamquam hæreticis condemnatis) collegerint sequentia.

De-

Destruendas esse Indulgentias, quasi humanæ essent adinventiones; simulq; annihilare Hyperduliæ cultum Matris Dei, B.V. MARIÆ; & Duliæ Sanctorum; eorumque Imaginum; missam abrogare privatam, uti & Confessionem peccatorum venialium, usumq; SS. Eucharistiæ: ipsosque docere ignorantiam invincibilem nec affectatam non excusare à peccato; omnes actiones peccatoris in mortali constituti, v. g. Orationes, Eleëmosynę, honor qui redditur Patri, &c. esse peccata mortalia: omnia quæ fiunt in Matrimonio sterilitatis, ratione ætatis aut aliter, mortalia coram Deo reputari delicta. Quod Episcopi cessent esse Episcopi, Magistratus esse Magistratus, &c. dum peccato mortali sunt obnoxii: Sequendum est quodcumq; motus interiores suggerunt contra Deum, Ecclesiam, Sereniss. Principes, Magistratus, &c. faciendam esse proportionatam Pęnitentiam peccatis ante Absolutionem: imò quod infirmi, facta Confessione, antequam Satisfactionem ęqualem impleverint; ad secundam obligati sint Confessionem; quodq; ideò sæpius Absolutionem negent; indèq; exurgunt miri illi & extraordinarii Pænitentiarum modi; quales sunt: quandò vinitori imponunt, ne unquam vinum bibat: dum nudis ventribus per plures horas super nudam humum fęminis jacere mandant, aut indusiô madidô corpus refrigerare, ne tentationes superveniant: ex quibus alię sensibus, alię vita orbatæ: quid mirum enim, si fęmellulę, lymphâ frigidâ madidantes, per horas orantes, sic-

ſicque ſe quieti reddentes, moriantur? aliis autem (quamvis non in quantitate notabili) boum iſtar fænum comedere injunxerunt.

Hic igitur diligenter perpendendum, an hæc Sanctorum Patrum, an verò diaboli inventa ſint: nec hæc ſcriberem, niſi qualificatis viris nota illa eſſe ſcirem: Alia, quibus eorum libri pleni ſunt, lectioni & judicio veſtro committo: Hoc ſolum advertendum eſt, quod merum Calviniſmum, alio autem modô coloratum, introducere geſtiant; hoc & Janſenii litteræ, ad Abbatem Sancti Cyrani datæ, cura *D. de Preville* impreſſæ, clariſſimè teſtantur: Quique librum, intitulatum Janſenii Auguſtinus, cum Inſtitutionibus Calvini conferre dignaretur; quo modò ſcilicet ejuſdem doctrinam, probas, diſcurſus & conſequentias ſequatur; verè haberet quod miraretur. Informationes factæ juridicè contra prædictum D. Abbatem S. Cyrani, Catechiſmus ejus de gratia, liber de votis, & alia opera, quæ in lucem dedit, clariſſimè demonſtrant, quod plura itinera Genevam, quàm verſus Romam confecerit. Si ergo Novatorum libri & litteræ doctrinâ erroneâ plenæ ſint, nonne jure merito affirmare poſſumus, quod, ſub titulô Reformationis, ſchiſma cauſare nitantur; dum unicus eorum ſit ſcopus (ut ipſimet ajunt) abuſus tollere, antiquas praxes innovare, vetereſque Canones introducere?

Schiſma times? rem inſpice. Sed fortè quis dicat; horrenda hæc, imò nec veroſimilia ſunt: Attende quæſo, &, ne judicium ad-

miratio præveniat, diligenter conſidera, quod ipſi Novatores (probe ſcientes quàm odioſus huc uſque Calviniſmus Catholicis fuerit) prorſus neceſſarium judicarint vel occultare, vel pro tempore ſimulare, illa ſcilicet per quæ populus averteretur : Ideoque has propoſitiones publicè rejecerunt : *Deus eſt Author peccati : Corpus Chriſti in Euchariſtia ſolum eſt figura. Non ſunt niſi duo Sacramenta. Papa eſt Antichriſtus. Imaginum cultus idololatria. Mater Dei non invocanda, nec Angeli, nec Sancti :* Ulterius, *non eſt Purgatorium. Miſſa eſt abominatio, &c.* O ſecretum virus ! Econtra retinuerunt coram hominibus Sacerdotes, cælibatum, Miſſam, ſeptem Sacramenta, Ceremonias, Ornamenta Eccleſiaſtica, Papam, Hierarchiam : denique, omnia illa, quæ ab ipſis populum poſſent avertere, qui amat illa quæ ſentit & ad devotionem excitant ; ut ſic abſque ullô horrore plebs inſici poſſet. Sed quo modò dicis, ait quiſpiam ſchiſma timendum ? nonne maxima ipſorum eſt ; *Non volumus vivere extra Eccleſiam Catholicam ?* Sic eſt, ſed & Pelagius, Macedonius, Euthyches, Donatiſtæ, & omnium novarum ſectarum fundatores ſemper ſecundum externam ſpeciem nomen Catholici, & inter Catholicos converſationem (quantum poſſibile) tenuerunt ; ut ſic ſine impedimentô inter Catholicos cujuſcumque ſexus æſtimationem ſui procurare poſſent ; frequentando tam Regularium quam Sæcularium Communitates, Univerſitates, Regum ac Principum Curias, &c. ut eo liberius loqui, converſari, prædicare, ſcribere, con-

ſcien-

ſcientias dirigere valeant, &c. ac ſic doctrinas ſuas inſpirare, methodos ſtabilire, contra adverſarios defendere, contra ipſorum ſectam concepta deſtruere, ſeminare diviſiones, & millena practicare media, ut dividantur illi qui corde ſincero & charitate non fictâ ipſos proſequuntur: Ratio, quia ſic exterius Eccleſiæ adhærentes, quaſi amici videntur, & hoc modo novam & noxiam ſuam paulatim doctrinam introducunt: Optimè ſcientes, quod, ſi ſeſe ab Eccleſiâ ſepararent, nomen ipſorum infame, converſatio ſuſpecta, libri rejecti, doctrina odioſa, ac conſequentur ſectæ ſuæ ſtabilimentum impoſſibile foret: dumque ſciunt, Calvini venenum hôc ſæculo mox, ut præſentatur, cognoſci ac rejici, operantur ſecundum Regulam Abbatis S. Cyrani, dicere ſoliti: *Secretum meum mihi propter metum Iudæorum, id eſt Catholicorum.*

Videamus ergò nunc quibus coloribus novitates ſuas tamquam veritates Catholicas divendere ſatagunt. Hæc eſt Novatorum methodus; publicare quod doctrina ipſorum ſit Auguſtini; eandemque nec ſuſpectis nec indifferentibus niſi terminis amphibologicis indicare, propoſitiones obſcuras de gratiâ, prædeſtinatione, libertate, &c. proponere, idque ſine explicatione, ut eo avidius novitatis attrahatur curioſitas: perſuadentes hominibus, quod nil niſi diſſolutam Eccleſiæ diſciplinam reſtituere, moreſque corruptos emendare intendant; adverſarios nomine Pelagianorum & Semipelagianorum nomine decorare, ut ſic

ipsorum disputationes Quæstionum Scholasticarum nomine gaudeant, & ideo Molinistas hæreticos vocant invidi : ut autem virus latens sub honesto nomine serpat, doctrinam suam baptizant aliquandò sub hoc nomine : *Disputationes Thomisticæ contra Iesuitas.*

Placet ulterius videre, quantum hæc dogmatica divisio *Vnitati Polyticæ*, & communi obsit saluti ? scitote igitur quod utantur in re hoc axiomate : *Ad regnandum dividendum.* Ad istum finem Abbas S. Cyrani librum conscripsit de Hierarchiâ, sub nomine *Petri Aurelii* ; ut sic inter Clerum & Religiosus bellum indiceret : moverunt & quæstiones de Missa Parochiali, de confessionibus tempore Paschatis, infirmitatis ; de privilegiis Regularium, de jure conscientias dirigendi, simulque de debito ac authoritate concionandi, catechisandi, &c. ut, durante hâc divisione, particulares suas stabilire possent opiniones : ad optatum finem captanda plebis gratia : Ast quomodo ? statuerunt ergo, ut saltem in exteriori mortificationem præ se ferrent, modestè & polyticè inter homines conversando, sicque appareant moribus sancti, doctrinâ excellentes, docti simul & humiles, ut lucrentur populum, qui, sic præventus, de bonitate eorum doctrinæ præsumit. Quod & addendum est, plebem adducunt ad exteriora pietatis officia, uti est infirmis assistere, captivos visitare : mulierculasque, quæ ad ipsorum mandatum hæc charitatis opera præstant, præclarô *Apostolarum* titulô cohonestant, vulgò *Apostolinnen:* ut autem omnem malam suspicionem de doctri-

nâ

nâ suâ avertant, multum (quasi veri Catholici) Sanctissimum Altaris Sacramentum honorant: insuper summis invicem laudibus extollunt, ut coram mundo manifestentur nomina eorum, discurrendo in curribus, navibus & consortiis de prædestinatione, de gratiâ, de Sancto Augustino, pro magistris in Israël haberi desiderant, attamen hæc omnia sub simplici narratione; si autem dicti ratio petatur, mox inclamant: *O Altitudo divitiarum*, &c. gratiam victricem quotidie ejusq; suavitates & delicias proponunt, eamq; certis notis, nec omnibus datis; cognoscibilem prædicant, nec illas apertè demonstrant, sed solum capacibus, per quæ populum attrahunt, ut desiderio ipsos audiendi flagrent, de negotiô salutis consulendi, ac sic occasionem habent doctrinæ suæ principia spiritibus eorum imprimendi; hæc populus libenter audiens eo facilius à viâ rectâ deducitur, sanam doctrinam relinquens: nam ut Ambrosius ait lib. 5. Hexameron cap 21. populus *non merita virtutis expendit, nec publicæ utilitatis emolumenta miratur, sed mobilitatis nutat incerto.* Et D.Chrysostomus homilia 2. in Joannem definit populum: *quiddam tumultus perturbationisque plenum, est stultitiâ, majori ex parte constans atq; compositum, temerè instar fluctuum maris varia & pugnante sententia sæpenumero jactatur.* Quid ergo magis periculósum illi, quam diversis doctrinis agitari? quod suâ naturâ usque adeò mobile est, non illi multâ est agitatione opus ut moveatur & commoveatur? donec in se ipso propriis viribus pænitus confractum mi-
 serè

ferè depereat. Cur domus corruit? quia parietes alii ab aliis segregantur, & tabulæ claves invicem connexæ dissolvuntur: maceriæ ex disparatis lapidibus compositæ non innititur ædificium, quod firmum ac stabile perseveret, dum verò calce adunati sunt lapides, licet rotundi sint, firmum persistit ędificium; sic quando cives conjuncti fuerint glutinô charitatis: conjuncti autem erunt, si antiquam retineant *Vnionem dogmaticam*: firmi & stabiles in statu Regiminis; si nullam doctrinę recipiant mutationem: si verò novæ doctrinæ varietate divisi & sejuncti fuerint, perpetuò in incertum fluctuantes, nullô aut certe non facili negotio unius Reipublicæ legibus coërcebuntur. *Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt Regna* inquit Propheta psalmô 45. discordiis enim hominum perturbationes Regnorum & cujuslibet Reipublicę dimanant; illudq; cum rebus naturalibus commune habent, ut concordia & unitate conserventur, divisione verò corruant & diluantur.

Ad omnium rerum naturalium generationem omnia elementa convenire oportet & conjungi in unâ concordia & vicissitudine: ex humorum concordiâ, docet Medicina, corporis oriri valetudinem, eorumdemq; discordia innumeros morbos ipsamq; mortem causari. Suavis harmonia non nisi in conformi vocum vel instrumentorum concentu consistit. Eôdem planè modô Status polyticus sive Respublica corpus est, in quô, nisi sit concordia humorum, id est *Vnitas doctrinalis*, varia & exitialia gignen-

pentur morborum genera, nullis, quantumvis polyticis, medicamentis curanda. Reſpublica ſuavis muſica eſt, verum ſit in eâ legis Doctores non eundem in docendo teneant concentum, brevi vertetur in luctum: cum in Republicâ aliud judex nuntiat, aliud præco clamat, vel, ut ait Vincentius Lyrinenſis in ſuo libello; *cum Authores ejuſdem opinionis Catholici, conſectatore verò hæretici judicantur. Cum abſolvuntur Magiſtri, & condemnantur diſcipuli, Conſcriptores librorum filii Regni erunt, aſſertores verò gehenna ſuſcipiet.*

Cum in diverſum abeant multi tam in moralibus quam polyticis, quis ille futurus Reipublicæ ſtatus, quis Ordo? quod ſi Medici de morbo alicujus ægrotantis continuò diſceptarent inter ſe, an illa diſceptatio infirmo morbum auferret? profectò non auferret nec dimiuueret, ſed medicinam differendo augeret. Cum igitur Reſpublica variis & mortiferis laboret infirmitatibus, diſputentq; Medici de morborum genere, & interim, proh dolor! nullum adhibetur remedium, quaſi vero Medicorum diſputatio ęgrotantis Reipublicæ Medicina foret. Quapropter, ô Reges, Principes, Proceres, Statuſq; miniſtri Medicinam propinate, id eſt Bullas & Decreta Sanctiſſimi executioni mandate, ut & hæc obſervent, & ſine expreſſa ſummi Paſtoris authoritate, motu propriô nova non cudant dogmata, eaq; nec inter populum ſpargant vel propalent; unde & ſcandala oriuntur, & puſilli ſeducuntur: In biviô hærent boni plurimi, cui adhæreant neſcien-

tes in millenis curis & anguſtiis verſantur, cum tam diverſimodè unumquemq; pro ſuo libitu moralia explicantem audiunt: mali liberius peccant, cum inter doctos de peccatorum ſuorum malitia diſputari intelligunt; Nobiles diſſolutius vivunt, dum ſibi à nonnullis, qui (ut Ezeh. 13.) *conſuunt pulvillos ſub omni cubitu manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis, ad capiendas animas*, reſpectu ſuæ nobilitatis aliquid ſupra plebem licere dicunt: plebs verò impudentius debacchatur, cum nihil certi in doctrina morali ſive polytica eſſe ſuſpicatur, idq; ratione diſputationum (quę in ſolis ſcholis exercitii cauſa aliquando fieri deberent) & ideo Doctores & moderatores ſuos flocci pendit, cum inter illos de doctrina quæſtiones agitari ſciat.

Cum Pſalmiſta, Pſalmo 132. de pacis *Vnitate* & concordia pronunciaſſet illud: *Eccè quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum*, duos pacis effectus ſub figurâ elegantiſſime deſcribit, quorum primus eſt: *ſicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aâron, quod deſcendit in oram veſtimenti ejus*: id eſt Doctores Reipublicæ, ubi pax fuerit, virtute Dei replebuntur, ac ſuo exemplo, tamquam pretioſo unguento totam Rempublicam ſuaviſſimè ungent; & *ſicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion*: hoc eſt, ſicut rores & nives, quę è Cęlis in montes & cacumina ceciderunt, & inde præterlabentes umbroſas valles irrigant, ita Doctorum Reipublicæ doctrina, ac pacificè vivendi exemplum in minores confluit: èconte-

tra

tra verò depravati eorum mores (nam secundum Judicem populi, sic & ministri ejus, &c. *qualis est Rector Civitatis, tales & inhabitantes eam* Eccl. Cap. 10.) in subditos & inferiores confluunt: cum enim plebs Rectores & Præpositos suos inter se dissentire videt, parum curat concordiam inter suos concives servare: vigilandum igitur nobis omnibus est; ut quinam sint Novatores cognoscamus, cognoscentes abhorreamus.

Hi sunt, qui ordinariè æstimationem & authoritatem Societatis Jesu annihilare intendunt, idq; instinctu diabolico: nam Cyprianus Epist. 58. ad Antonianum ait: *hoc opus semper diaboli, ut Servos Dei mendacio laceret, & opinionibus falsis gloriosum nomen infamet, ut qui conscientiæ luce clarescunt, alienis clamoribus sordidentur.* Unde hi scientes quod hæreticorum hostes fortissimi sint illi, qui sub vexillo Christi Jesu fideliter decertant; & nec minus aliorum Religiosorum nomina falsis dicteriis maculare satagunt, utpotè qui sese pro domô Dei, ejusq; Vicario summo Pontifice, instar mirorum novitatibus opponunt, quiq; toties & ore & calamo, imo & sanguine Ecclesiam Sanctam defenderunt, ac hodiedum defendere parati sunt: ac proinde, quia sciunt Religiosos, juxta regulam suam approbatam, corpus suum, ut Spiritui subjiciatur, castigare, in virtutibus & Consiliis Evangelicis excellere, Zelum veræ Fidei habere, hos persequendos suggerit Sathan; eoq; plus, quod probe noscat, quod hi viri Apostolici, liberi à negotiis sæcularibus, liberius scientia divina

vina ſint occupati, ſicq; ad novitates debellandas magis capaces. Cumq; animadvertant, quod Religioſi Societatis Jesu, uti & aliorum Ordinum, corpus conſtituant quaſi immortale, in quo Spiritus Fidei veræ conſervatur, utpotè quod ſemper eſt ſubjectum pedibus S. Romanę Eccleſiæ, diſperſumq; ſit per totum mundum, & conſequentèr poſſint concionari & ſcribere linguis lociſq; diverſis ac omni tempore contra novitates à ſanctâ Sede non approbatas: inſuper, quod ſint maximæ partis Chriſtianiſmi conſcientiarum directores, antiquam ipſorum doctrinam ſequentis & conſilia; ſimulq; conſtet impoſſibile, ut omnes ad novas praxes & inauditas methodos perducantur; quodq; Poteſtatibus Eccleſiaſticis uniant polyticas & laicas, ut novitates deſtruantur: ob has, inquam, rationes ſtat ipſis firmiter deſtruere Religiones, auferendo (quantum ipſis poſſibile) nomen bonum & officium ſanctum, quod in Eccleſia poſſident: hinc concluſerunt populo perſuadere, quod Religioſi non vivant ſecundum ſuam Regulam; quod mores ipſorum corrupti, doctrina perniciosa; quod non intelligant materiam de prędeſtinatione & gratia, ſintque abuſuum introductores, Parochos & Parochias vituperent, directionem conſcientiarum ac verbi miniſterium ſibi injuſtè uſurpent, utpotè quę ad ſolos Paſtores pertinent; clamantque Religioſos non eſſe de Hierarchia Eccleſiaſtica, ſed vanos, ambitioſos, vindicativos, &c. & quamvis hæc omnia ad majorem Dei Gloriam animarumq; ſalutem agere

vi-

videantur, cuncta tamen pro proprio intereſſe faciunt.

Ut autem omnia hæc fortiora & credibiliora reddantur, eoq; magis *Vnitas* tam *Dogmatica* quam *Polytica* dividatur, ſtatuunt omnia, quæ dedecus Religioſorum ſpirant, colligere, collecta in omni occaſione ad manus habere: verùm attendite, quam nervosè D. Greg. Nazianzenus de his diſcurrat Sermone de Arianis, dicens: *hæretici captant in noſtris, ſi quid fortè infirmum aut fragile inveniant; ſicut muſcæ vulneribus, ita illi noſtris quibuſq; erroribus vel verbis fragilibus inſident.* Eodem modo Novatores noſtri conventicula ſervant, ubi & muſica & carmen diffamatorium Religioſorum munia obeunt; hinc imprimuntur & ſparguntur Libelli ſcommatibus & injuriis pleni, uti eſt titulo gallico *l'Apocalypſe de Meliton*, & alter *le Moine ſeculariſé*, & centum ejuſdem hæreticæ farinæ: nil tam cordi habentes, quam populi erga Religioſos auferre venerationem; unde dum & ipſi obviant Religioſis ne pileum deponant, ſed atram bilem foveant, oculos caputq; aliqui avèrtunt: quaſi verò *honor non ſit in honorante, & non in honorato.*

Probationes forſan plures quęrit veritatis & antiquitatis Amator? en adſunt alia media, quibus Religioſos proſequi deſiderant: auferre igitur volunt doctrinam de meritô per opera ſupererogatoria; cum putent Religioſos, vèl potius Monachos (ut per contemptum dicunt) hoc fundamento ſubſiſtere. Sacerdotibus ſæcularibus ſuſpicionem ingerere ſatagunt, quaſi Re-

Li-

ligiosi ipsis sint contrarii ; unde persuadere nituntur, ut Sacerdotes, instar Religiosorum, quasi in unum corpus coadunentur, ut sic (hisce exclusis) possint soli habere omnem directionem Concionum, Catechismi, missionum, &c. Parochorum jura nimis extollere, Religiosorum privilegia & exemptiones deridere : tandem ecce intentum, zelotypias seminare, divisiones causare, *Vnitatem dogmaticam & polyticam*, sibi displicentem, annihilare.

Verumtamen cum homo proponit, non rarò Deus aliter disponit : nam toties quoties diabolus bella in Religiones movit, confusus & devictus Christum, in Religiosis triumphantem, agnoscere debuit. Scripta perlegite sanctorum Doctorum tam Angelici quam Seraphici (qui & contra calumniatores calamos suos acuerunt) & tales diffamatores, Religionum hostes, pacisque perturbatores sæpius divinitus punitos reperietis : nec mirum, nam Religiosorum Ordines (testibus etiam pluribus Pontificibus) nominantur, & sunt membra Ecclesiæ selecta.

Nec omittenda illa puto, quæ Novatores, adversus Societatem debellantes, intelligere debent. Hæc paucis accipe (frustra enim schismata tentant ac novitates cudunt, qui sine Summô Pontifice ejusque jussu bellum indicunt) intelligite ergo hæc & aliquando sapite : præterquam quod Jesus Societatem suam singulariter amet, & Pontifex eandem (utpotè quæ ipsi singularem præstat obedientiam) particulariter protegat ; considerate quod prædicta Societas summô cum applausu in doctrina sana &

san-

ſancta inſtruat, quod adoleſcentes pro novitiatibus Regularium educet (nam ex Collegiis Presbyterorum, aut Oratorii vix aliqui clauſtra petunt) magnum ſane, ut puto, impedimentum; quia principia fidei & Catholicæ veritatis rudimenta juventuti tam profunde ac firmiter imprimunt, ut eam pervertere difficillimum ſit: Adde, quod nomen illuſtre ſibi perperint, tum per libros conſcriptos, tum per conciones ab ipſis habitas; quodque famâ non mediocri benè audiant apud omnes, tam ob ſcholas, directiones, miſſiones, quam ob religioſa ac ſpiritualia exercitia: ita ut hæc ſola abundè ſufficiant, ut populus Dei in verâ Catholica doctrina ſtabiliatur, &c. Quinam verò, quando, ubi, & quomodo hæreticis ſemper reſtiterint, ac etiamnum reſiſtant, hiſtoriæ clamant, ac dies judicii clarius manifeſtabit: Porrò hæc ita moverunt Abbatem S. Cyrani, ut in prædictam Societatem univerſalis ruinæ fulmen jacere attentaverit, ſed in vanum: Aſt numquid hoſtes Societatis triumphabunt, ſi Cenſura Lovanienſis, de qua ante, à S. Sede (uti ſpargunt) permiſſa fuerit? nequaquam: voluntati enim SS. Domini parebunt humillimè in confuſionem Novatorum, quorum de facto deprehenduntur & informationes ſubdolæ & delationes in multis ſuſpectæ: unde timendum ne aliquando ex mala informatione licentia quędam diſſimuletur; animadverto autem quod eo ipſo quo nomen Societatis legitis, indignemini mihi: non mirum; nam & ipſum SS. Societatis nomen vobis eſt odioſum, attamen ſcitote,
quod

quod nec ideo Jesum ejusque Societatem amare & defendere desistam (ut opus, quod brevi legetis, confirmabit) quamvis enim multas Societatis doctrinas & suspectas & laxas immo & aliquas hæreticas affirmatis, nil Novatoribus novi, nam sicut Magister vester sic & vos Discipuli: ille autem & falsas Societati doctrinas affixit, dum ipsasmet docuit: contra authoritatem S. Sedis (cui verbo & non re se submisit) materiam de gratia proposuit, Baiique prohibitas suscitavit sententias, Societatis Theologos honoravit nomine *Semipelagianorum*, & *Pelagianorum*, *&c.* at nimis infundate, nimisque festinanter, unde nec mirum quod *Canis festinans cæcos quinque pepererit catulos*, ab antiquis Novatores veritatis defensoribus verisque Catholicis dogmata attribuerunt hæretica: Episcopi enim *Arriani* Catholicos *Sabellianos* indigitarunt: ex eo quod Catholici virginitatem matrimonio præferebant, *Iovinianus* hos *Manicheos* appellabat: *Originistæ* eos brutales, simplices, animales, &c. nominarunt, propter fidem resurrectionis corporum: propter cultum Reliquiarum *Vigilantius* Catholicos idololatras clamavit. *Nestorius S. Cyrillum* tamquam fautorem errorum *Apollinaris* accusavit. *Eutiches Flavium* tamquam *Nestorii* sectatorem apud Cæsarem detulit. *Nestoriani* accusarunt omnes Catholicos (à quibus impugnabantur) errorum *Eutychetis*: *Manicheismi* notam inurebant Catholicis *Pelagiani*, *&c.* quid ergo mirum si & modernis Catholicis Theologis nomen & doctrinam falsam attribuant? audite quid maximus Aquileiensis Episcopus in Con-

Concil. Lateran. ſub Martino I. dixerit; hæc ejus ſunt verba : *Quoties & ipſum malignum ſenſum nudamus jam & factum ſimulationis eorum detegentes ipſos quoque Patres refutare nituntur :* Adde & Epiſtol. 1. ad omnes fideles ipſiuſmet Martini I. dum de Novatoribus ait. *Illis nonnulla communia exiſtunt cum ſanctis Patribus, ſed quantum diſtat ortus ab Occidente, tantum diſtant hæretici à viris à Deo inſpiratis.* Auguſtini ſeſe, alios Pelagii Diſcipulos nominant : ſed tantum Auguſtini doctrina ab ipſorum differt quantum lux à tenebris : quare Rex Catholicus, qui Janſenio (antequam errores hi in Hiſpania erant noti) Mitram Iprenſem benevolè conceſſerat, eandem uti & omnes à ſequacibus juſte abſtulit : dum anno 1647. 21. Decembris expreſſe prohibuit, ne quis novi hujus Apoſtoli Diſcipulus ad ullam admitti poſſit Prælaturam (uti & reipſa in Henrico, &c. Mechliniæ patuit) niſi prius abjurata nova hac hæreſi, cujus & abjurationis formulam præſcripſit S. D. N. Alexander VII. in Conſtit. quæ incipit. *Regiminis, &c.* Romæ annò 1664. 15. Kal. Martii Pontif. anno 10. cui voluntati tam Apoſtolicæ quam Regiæ utinam omnes obedirent promptiſſimè, tunc pax : ſed revertamur ad propoſitum.

Cum curioſus ergo ſis & à me petas, quibus mediis ad hunc finem pervenire intenderint aliqui? quomodo ſocietas oppugnata, ut ſic *Vnitas dogmatica* & Catholica devideretur? attende, & breviter reſpondebo : Imprimis ſcripſerunt contra ejus claſſes, docendi methodum, & Profeſſores, uti & hodiedum : deinde, ut

eandem odiosam redderent, mercaturam exercere falsò divulgarunt: utq; corda hominum ab hâc magis averterent, materiam invidiæ contra eandem inter alios Religiosos Ordines sparserunt: modo artificioso ac simul diabolico Societatis libros, Prædicatores, Theologos, aliosq; Authores; conversationem eorum & Regimen turpiter diffamarunt: At his omnibus maturè examinatis, inciderunt accusatores in foveam quam fecerunt, cum confusione publicâ, & quidem tali, ut recurrere debuerint ad dogmata polytica famosi Ministri *Du Moulin*, cujus spiritus dives in inventionibus & fictionibus, quibus suis sectatoribus corruptam & perniciosam (ut ajebat) Ecclesiæ Romanæ doctrinam clare se proponere jactabat. Eodem pernicioso & venenoso calamô scripserunt contra Theologiam moralem Jesuitarum; & quamvis Viri docti & cordati malam eorum fidem ac impudentiam deprehenderint, in locis tamen, ubi domicilium non habent, moralis ipsorum doctrina ut laxitate plena traducitur, &c. hæc interim pati debuerunt & patiuntur veri & zelosi Ecclesiæ Filii, in hoc solo invicem consolantes, quod *Beati qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.*

His lectis judica, quis *Vnitatem Dogmaticam & Polyticam*, defendere, quis evertere studeat. Qui Antiquitatem Catholicam protegunt, homines reddunt quietos, qui verò novitates introducunt turbant: Hinc inter Moniales & Beginas schismata causata; inter Cives dissidia ex-

excitata; in Capitulis pro antiqua possessione lites obortæ; tot scandala in Templis perpetrata; tot accensæ invidiæ, tot calumniatorum ora aperta; tot collectæ rancoris materiæ; tot homines ad desperationem acti, tot horribiles factæ abominationes; ut plus sit quam tempus, ut antiquitas defendatur, & novitas expulsetur; ut & Catholici in sancta & antiqua Sacramentorum praxi maneant quieti; verum debitumque B. V. MARIÆ cultum retineant; Parochi sua jura, Religiosi sua privilegia possideant. Quæ omnia infallibiliter fient, si sese omnes unanimiter & fideliter, corde sincero, & obedientia non fictâ, definitionibus, Constitutionibus, Decretis & Bullis Sanctissimi Domini nostri Summi ac Romani Pontificis subjiciant; infallibiliter credentes & executioni mandantes, quæ ipse, tamquam Papa, Christi Vicarius, Ecclesiæ caput visibile, Summus in terris Pastor & Rector, infallibiliter proponit; Ejus voluntate contenti in obsequium fidei intellectum nostrum captivantes, tunc nihil de schismate timendum. Quod ut desideratum sortiatur effectum, ac Obedientia erga Summum Pontificem realiter adimpleatur, rogantur humillimè omnes Reges & Principes, ut omnes novitates prohibeant, nilque in sua Regna vel ditiones, nisi à Summô Pastore approbatum, introduci permittant.

Monitum quoddam ad Augustum reperio (ut Mæcen. apud Dion. Cassium lib. 52.) scilicèt: *Divinum illud Numen omni modô, omni tempore ipse cole, juxta leges patrias; & alii ut colant effice: Eos verò, qui in divinis aliquid innovant,*

 odio

odio habe & coërce .... quia nova quædam Numina hi tales introducentes, multos impellunt ad mutationem rerum, unde conjurationes, seditiones, conciliabula existunt; Res profectò minime conducibiles Principatui. Quòd confirmans Lactantius 1. Instit. cap. 20. ait. *Religio & veneratio nulla nisi unius Dei tenenda est.* Unius Dei, & trini in Personis, Creatoris, Salvatoris, Remuneratoris, Judicis tenenda fides; una scilicèt Catholica, Apostolica, Romana; quidquid illa continet, aut ut credendum proponit amplectimur, uti & Ritus & Ceremonias cæteraque omnia, quæ à Matre nostrâ Romanâ Catholicâ recipimus Ecclesiâ, ut certa tenemus, nec aliis spiritibus credimus, ne corde leves, vel damnationi inveniamur obnoxii. *Puni igitur*, ait Lipsius lib. 4. cap. 2. Polyticorum, *si quis turbat.* Seriò seriò hoc imbibe; *nihil esse* (teste Lactantio lib. 5. Instit. cap. 2.) *in rebus humanis Religione præstantius, eamq; summâ vi oportere defendi* : & pergit Polyticus Lypsius, Civilis Doctrinæ lib. 4. cap. 3. dicens : *Ergò firmiter nostra sententia est unam Religionem in unô Regno servari. Quæri tamen duo possunt : sempernè puniendi qui dissentiunt, & an omnes ? quâ de re ut disseram, non curiositas me impellit, sed publica utilitas, & præsens hic Europæ Status, quem nego me sine lachrymis intueri. O melior mundi pars ! quas dissidiorum faces Religio tibi accendit ! colliduntur inter se Christianæ Reipublicæ capita, & milleni aliquot homines perierunt & pereunt per* speciem pietatis. *Quis hic silebit ? non ego : Et quamvis cum Platone sciam calumniis hæc obnoxia in vulgus, nec quidquàm tam probe aut providè hic dici, quod non vel-*

lis

licare malignitas possit : tamen subibo discrimen, & pro virili aquam infundam in sacrum hunc ignem : hoc excusatius, quod consilia non decreta adfero, nec assero aliquid, sed pono : tu qui legis, scito à piâ puraq; mente hæc esse : & si ipsa aliter, subjici me iis quorum propriè cognitio & censura.

Vt rem intelligas, duo eorum genera facio qui in Religione peccant : qui publicè, & qui privatim. Publicè peccare dico; Qui & ipsi malè de Deo receptisq; sacris sentiunt, & alios ad sentiendum per turbas impellunt. Privatim, qui pariter male sentiunt, sed sibi. De primis primò quæritur, an talibus debeat esse impune ? nego. Puniantur à te, ne tu pro illis puniaris. Hæc sunt verba Cypriani, de util. pœnit. Et pergit Lipsius, dicens: *Maximè si turbant*; & addit Augustini verba: *Melius enim est, ut pereat unus, quam ut pereat Vnitas* : Nam non hic clementiæ locus. *Vre, seca* (ait Cicero Philip. IIX.) *ut membrorum potius aliquod, quam totum corpus intereat*; quia, *quod in Religionem Divinam committitur, in omnium fertur injuriam* : sic habet Justinus lib. 4. Cod. de Hæretic.

Quare summo jure Senatus Regius theses scandalosas & tumultum causantes prohibet (uti prohibuit. . . . . . .) & è Cathedris continuas punctiones & scommata in Religiosos effutientes impedire tenetur, cum videat hæc omnia à Religiosis animo pacifico excipi, animas suas in vera patientia possidentibus.

Interim, quamvis *contrà communes hostes pro salute communi una communis debeat vigilantia*, sicut Leo Papa refert locô anteà citatô; certum equidem est, quod ad Episcopale munus maximè pertineat : tali enim dignitate ful-

gentes, tali etiam curâ onerantur, utpotè qui in magno Judicii die pro animabus ſibi comiſſis reddituri ſunt rationem : Unde & omnes oves æquali amore complecti debent, eademque charitate reducere omnes; ut ſit communis Pater omnium, omneſque æqualiter de paterna ejus charitate accipiant, ac eâdem authoritate protegantur; & ſic innocens non deſpiciatur, minus opprimatur, ac nocens injuſtè defendatur : Nam, *quid aliud interpretatur Episcopus* (hæc verba S. Ambroſius lib. de dignitate Sacerdotali cap. 16.) *niſi Superinſpector, maximè cum ſolio in Eccleſia editiore reſideat, & ita cunctos reſpiciat, ut & cunctorum oculi in ipſum reſpiciant?* O verba verè aurea! nam (teſte S. Auguſtino lib. 19. de Civitate Dei cap. 19.) *nomen Episcopatus eſt operis, non honoris.* Verum quidem, ut Ambroſius lib. cit. cap. 3. *In hoc ſæculo nihil ſublimius Epiſcopis reperiri, ut cum dignitatem Epiſcopatus Epiſcoporum oculis demonſtramus, & digné noſcamus quid ſumus profeſſione, actione potius, quam nomine demonſtremus; ut nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini; ne ſit nomen inane, & crimen immane; ne ſit honor ſublimis, & vita deformis; ne ſit deifica profeſſio, & illicita actio; ne ſit Religioſus amictus, & irreligioſus provectus.* Et cum Epiſcopi (ut Proſper ait de vita contemplativa lib. 2.) ſint *fideles populi Duces, veritatis Aſſeſſores, pravæ doctrinæ hoſtes*, etiam impedire tenentur, ne lupus oves devoret; ne introducantur novitates, quarum populus avidus ſentit aliquando inſipidum & amarum æternæ damnationis fructum : legite lib. de 12. abuſionibus cap. 10. inter opera Auguſtini, ubi

hæc invenies : *Speculatorem te dedi domui Iſraël, ſi autem videris gladium venientem, & tu non annunciaveris, ut revertatur impius à viâ ſuâ, ipſe quidem in iniquitate ſua morietur, ſanguinem verò ejus de manu tua requiram.* Et certè tanta eſt Epiſcopalis dignitas, ut cura & authoritate ſuâ linguas Novatorum facillimè refrænare valeant, ac ſic impedire ne novum aliquod dogma in fidelium cordibus radicetur : cum enim Novator aliquis aliam quam eorum doctrinam prædicare præſumit (intelligo doctrinam quæ de ſæculo in ſæculum, de Epiſcopo ad Epiſcopum continuâ ſucceſſione ad nos pervenit) frænum tali injicere poſſunt, ſilentiumq; imponere tenentur, ne, falſam peccaminosâ miſericordia doctrinam diſſimulantes, Dei offenſam & judicium incurrant. Sic docet Leo I. Epiſt. 3. ad Julianum Aquilienſem Epiſcopum, ubi ſic habet : *Non dubitet dilectio tua nos ſi (ut quod arbitramur) neglecta fuerint, quæ pro cuſtodia Canonum, & pro fidei integritate decernimus, vehementius commonendos : quia inferiorum ordinum culpæ, ad nullos magis referendæ ſunt, quam ad deſides negligentesque Rectores, qui multum ſæpè nutriunt peſtilentiam, dum neceſſariam diſsimulant adhibere medicinam.*

Sane reatu majore delinquit (ut Symmachus I. in Concil. Rom. 6. quod celebravit) *qui potiore honore perfruitur, & graviora facit vitia peccaminum ſublimitas dignitatum : ideò tacere non debemus, ſed ea quæ neceſſaria fore agnoverimus, viriliter corrigere & emendare ſatagamus, ut ea quæ nociva ſunt extirpare, prout Dominus dederit ſatagamus.* Optandum igitur, ut impudentum ora claudantur, dummodò verè talia ſunt : non

enim sufficit, quod, etiam falso, quidam ab adversariis ad Episcopos delati & accusati, statim, inaudita parte ac scandalo communi, ab Officio concionandi suspendantur: hoc enim agendi modo nociva non solum non extirpantur, sed magis falsorum istornm calumniatorum invidia, tali fulta authoritate, succreſſit, & veritas sub modio latet, & innocentia opprimitur.

Ut autem Novatores & perturbatores coërceantur, ac hæretici extirpentur, sicq; non permittatur ut habeant sua conventicula, ubi Verbum Dei depravent & veritatis præcones derideant, admonet Leo I. Epist. ad Episcopum Italiæ: *Aliter enim*, ait, *nobis commiſſos regere non poſſumus, niſi eos, qui ſunt perditores & perditi, zelo fidei Dominicæ proſequamur, & à ſuis mentibus, ne peſtis hæc latius divulgetur, ſeveritate quâ poſſumus abſcindamus: ut enim habebit à Deô ingens remunerationis præmium, qui diligentius, quod ad ſalutem commiſſæ ſibi plebis proficiat, fuerit executus; ita ante tribunal Domini de reatu negligentiæ ſe non poterit excuſare, quicumque plebem ſuam, contra ſacrilegæ perſuaſionis authores, noluerit cuſtodire.*

Patres Concilii Lateranensis Generalis sub Innocentio III. Cap. 3. postquam prescripserunt qualiter Archiepiscopus aut Episcopus erroribus debeat invigilare, addunt hæc verba: *Si quis enim Epiſcopus ſuper expurgando de ſuâ Diœceſi hæreticæ pravitatis fermento negligens fuerit vel remiſſus, cum id certis indiciis apparuerit, & ab Epiſcopali officio deponatur, & in locum ipſius alter ſubſtituatur idoneus, qui velit & poſsit hæreticam confundere pravitatem.* Hoc idem decretum adeo rationi consonum judicatum fuit, ut Martinus V. in fine Concilii

Con-

Conſtantienſis, idem renovaverit contra *Wiclef*, *Ioannem Hus*, & *Hieronymum Pragenſem*.

Cumq; omnis Novitas *Vnitatem* tam *dogmaticam* quam *polyticam* lædat, ſicq; animos à vera charitate dividat ac Regna disjungat, oportet ut Sereniſſimi Principes & Chriſtianitatis Monarchæ, quibus à Deo datum eſt populum regere, potentias ſuas ſpirituali authoritati adjungant, ut ſic Decreta Apoſtolica majorem vigorem & robur accipiant; peſtiſq; propulſetur exitialis animabus & Regnis: hæc enim (niſi tempeſtivè obſtaculum ponatur) rependo Status veſtros inficiet, & infectum diviſionis ignem, poſtquam illum circa Altaria & ſacra Myſteria accenderit, ad Thronos veſtros aſportabit. Nam ſi Chriſti tunica, multo prætioſior Regum Purpurâ, per novitatis ſchiſmata dividatur, noſne putabimus, quod Purpuras non divident Regales? nolite dubitare: talis enim eſt Unio inter Eccleſiam & Status Catholicos, quod unum membrum abſq; alio lædi non poſſit. Legamus nunc Epiſtolam, quam Cæleſtinus Papa ſcripſit ad Theodoſium Imperatorem, ratione quorundam novatorum, teſte Baronio ad annum 431. *Sufficiat licet* (ſunt verba Pontificis) *quod ſollicitudo veſtræ Clementiæ circa Fidei Catholicæ defenſionem, cui, pro Chriſti Dei noſtri amore, qui veſtri Imperii Rector eſt, adeſſe modis omnibus feſtinatis, integram immaculatamq; eam, pravorum dogmatum damnato errore, ſervatis; in hoc ſemper munimen veſtri conſtituentes Imperii; ſcientes Regnum veſtrum ſanctæ Religionis obſervantiâ communitum firmius duraturum. Pietatem veſtram ſub Divini obſecrantes obteſtatione judicii, ne quid tur-*

pidæ Novitati licere vestra mansuetudo permittat, neve facultas aliqua ijs, qui divinæ Majestatis Potentiam in humanæ disputationis rationem arctare contendunt, quô perturbetur pax Ecclesiastica, tribuatur: major vobis fidei causa debet esse quam Regni; ampliusq; pro pace Ecclesiarum Clementia vestra debet esse sollicita, quam pro omnium securitate Terrarum: subsequuntur enim omnia prospera, si primitus quæ Deo chariora sunt serventur. Abraham fide floruit, omnemq; orbem gloriâ suæ prosperitatis implevit. Moyses populi liberator, Zelum Domini contra eos, si quos à Dei cultu recessisse probarat, armavit. David Regem sua præcepta servantem in Regno, ut ille inimicos suos subderet, Dominus custodivit. His rogo exemplorum vallati præsidio, fide, observatione, virtute, universalis Ecclesiæ in Deum nostrum pijssimum cultum, ne sibi aliquid dissentij vendicet, custodite: pro vestri enim Imperij salute geritur, quidquid pro quiete Ecclesiæ, vel sanctæ Religionis reverentiâ laboratur.

Hæc quæ Cælestinus Theodosio repræsentavit, illa, quæ sub ipso facta sunt, confirmant: nam hic Princeps, qui, quasi Dei armiger, divinum cultum contra hostes defendit, qui tot contra novitates edidit decreta, qui Regnum taliter pro Religione moderabatur, ut super omnes fuerit exaltatus, quiq; manu Dei inauditam de Persis victoriam reportavit: Cui Cœlum contra hostes barbaros & tonitru & fulmine ad victoriam cadente, suorumq; sanguini pepercit: qui & tempestates ventosq; turbidos precibus sedavit: paucis; cujus palatium Cæsareum Religiosorum Claustrum, &c. Tandem adeo maledictus fuit, ut aurem præbens inferni serpentis halitui, auscultans, dico, & fovens Nestorium

hæ-

hæreticum, perſequeretur Epiſcopos: & eccè! in inſtànti vindicta Dei ſuper Imperatorem & Imperium, &c. Ex quibus conſtat clariſſimè quod dum Imperatores & Reges Eccleſiam Dei defendunt, defendat & ipſorum Regna Altiſſimus; ècontrà verò, dum Novatoribus aut hæreticis favere incipiunt, omni Cæli favore & gratia deſtituantur, ac divina indignatio, Regna diſſipans, iiſdem ſuperveniat. Teſtentur hoc plurima coronata Capita, uti *Heraclius*, *Iuſtinianus*, *Conſtantius*, *Valentius*, *Mauritius*, *Leo*, *Gratianus*, ac Cæſares omnes: Idemque patuit inter Chriſtianiſſimos Reges, Regeſque Catholicos: Illuſtriſſimæ namque piiſſimæque Auſtriadum ſtirpi benedictio data & danda ob ſtrenuam Fidei defenſionem: quę ut magis magiſque defendatur, ſicque omni benedictione cœleſti Catholica Monarchia repleatur, hæc ſcripſi ſtilo ſimplici, omnibus Veritatis Amatoribus pergrata fore ſperans; ſcripſi enim Veritatis & *Vnitatis* amore, & hęc, ſi malus aut invidus contemnat, nil mihi mali; nam cum ulterior mihi deſit poteſtas, ut *Vnitatem* tam *dogmaticam* quam *Polyticam* defendam, ſufficiat voluntas. Tandem finiens cum Lypſio polyt. lib. 4. c. 3. dico: *Et tu qui legis ſcito à piâ puraque mente hac eſſe: & ſi ipſa aliter, ſubjici à me iis, quorum proprie hac cognitio & Cenſura.*

Chriſtianorum ergo Principum pedibus advolvor, & ante Thronos Catholicorum Monarcharum, præſertim CAROLI II. (cui Deus in omnibus benedicat) Regis noſtri clementiſſimi proſternor, ac ſupplicam noſtram non minus confidenter quàm humiliter propono, verbis

Leonis

Leonis Papæ primi Epist. 75. ad Leonem Augustum, quibus ab ipso petiit Pontifex, quatenus se Novitatibus opponeret. Clementissime Princeps, Ecclesiæ defensor singularis. *Cum sancto spiritualiq; studio universam pacem Ecclesiæ muniatis, nihilq; sit convenientius Fidei defendendæ, quam his, quæ per omnia, instruente Spiritu sancto irreprehensibiliter definita sunt, inhærere; ipsi quomodo videbimur statuta velle convellere, & authoritates, quas Ecclesia universalis amplexa est, ad arbitrium hæreticæ petitionis infringere; atque ita nullum corrigendis Ecclesiis modum ponere, sed data licentia debellandi, dilatare magis quam sopire certamina. Quid probabilius, quid religiosius poterit pietas vestra discernere, quam ut quæ non tam humanis quam divinis sunt statuta decretis, nullus ultra sinatur impetere, ne verè digni sint Dei munus amittere, qui de veritate ipsius ausi fuerint dubitare? Cum ergò Vniversalis Ecclesia per illius principalis petræ ædificationem facta sit petra, & primus Apostolorum beatissimus* Petrus *voce Domini audierit:* Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; *quis est nisi Antichristus aut diabolus, qui pulsare audeat inexpugnabilem veritatem, qui in malitia sua inconvertibilis perseverans, per vasa iræ & suæ apta fallaciæ, falsô diligentiæ nomine, dum veritatem se mentitur inquirere, mendacia desiderat seminare? Cum enim Clementiam tuam Dominus tanta Sacramenti sui illuminatione ditaverit, debes incunctanter advertere Regiam potestatem tibi, non solum ad mundi Regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam; ut aúsus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacem his, quæ sunt turbata, restituas. AMEN.*

Libellus

Libellus ſupplex contra Novitates repreſentatus Sereniſsimo Principi IOANNI AVSTRIACO, cujus Copiam authenticam, ſi ante mihi miſſa fuiſſet, in frontiſpicio hujus ſcripti impreſsiſſem: ſed jam tantummodo ad manus meas pervenit, &c.

SERENISSIME PRINCEPS,

AMplum & Illuſtre Principum Regumque munus eſt. Quid enim inter homines majus, quam unum præeſſe pluribus, leges & juſſa ponere, maria, terram, pacem, bella moderari? Divinitas quædam (ait Lipſius) videtur hæc dignitas: & eſt profectò, ſi ſalutariter atque ex uſu publico adminiſtretur; ſed hoc quam arduum ſit, tum ratio nos docet, tum exempla. Illam ſi inſpicimus; quantæ molis ab uno capite tot capita coërceri, & univerſam illam multitudinem, inquietam, diſcordem, turbidam, leviter redigi ſub commune quoddam obedientiæ jugum? ſi hæc; quam pauci ab omni ævo reperti, qui laudabiliter hoc munere functi & defuncti? ut veriſſimè dixerim difficilè eſſe homini in hominem imperium, difficilè multitudinem ſub jugum redactam in pace & obedientia conſervare, ſi quis Novitatibus turbet quietam. Hinc eſt quod humillè ad Celſitudinem Veſtram Re-

giam

giam Belgium recurrit, dum ſeſe miratur & Novitatibus, tam quoad praxim Sacramentorum, quam quoad cultum B. V. MARIÆ, Sanctorum eorumque Imaginum, ſupplicationum, &c. irrepentibus, turbatum; dum obſtupeſcit quod graves ſint controverſiæ & contentiones pertinentes ad doctrinam Theologicam (uti repreſentarunt quidam Theologi in libello ſuo ſupplici ad Suam Majeſtatem 10. Septemb. anno 1676.) v. g. de gratia, Chriſti morte, lib. arbitrio, dilatione abſolutionis in pluribus illis caſibus, quibus differri volunt tot recentium libellorum novæque praxis authores, &c. quibus inquietatur; ſperaverat quod illi zeloſi Romæ tantum effeciſſent, ut per definitionem aut conſtitutionem Apoſtolicam veritas innotuiſſet, at è contrario demonſtratæ & condemnatæ 65. Propoſitiones (quæ minime umquam Belgium turbaverant, ubi & plurimæ hactenus inauditæ) quæque Cura illorum Flandrice impreſſæ & è Cathedris (tamquam ſi fuiſſent Religioſorum Belgicorum dogmata) acrimonia non vulgari publicatæ maximam pepererunt turbationem. Recurrit Belgium quatenus paci publicæ & quieti, Summi Romani Pontificis infallibili authoritati, veræ fidei ſacrorumque rituum antiquitati Regia authoritate conſulatur. Inhibendo ne quid novi permitta-

tatur inconſulta ſancta Sede : unde timentes Domini de Magiſtratu Bruxellenſi anno 1674. ne oriretur confuſio in Civitate, ex eo quod Archiëpiſcopus Mechlinienſis voluerit inhibere (uti & reipſa inhibuit) ne Proceſſiones, quæ ab omni antiquitate hic factæ ſunt, comitantibus Imaginibus SS. Sacramentum) amplius more antiquo & laudato fierent, recurrerunt ad Excellentiſsimum Comitem de Monterey, &c. tunc Belgii Gubernatorem per libellum ſupplicem, in quo inter alia : *Exhibent humillimè illi de Magiſtratu hujus Civitatis Bruxellenſis, quod ab omni antiquitate, ſit hic conſuetudo, ut ſiat Proceſsio generalis Feſto die S. Michaëlis, &c. in qua portatur Venerabile Sacramentum ſimul cum Imagine S. Michaëlis, &c. & cum à pauco tempore Illuſtriſsimus Archiëpiſcopus Mechlinienſis miſerit Clero decretum, ne permittat, quod portetur Venerabile Sacramentum ſi quæcumque Imago alicujus Sancti Proceſsionem comitetur. Nos reperimus quod cauſet difficultatem, &c. ... & cum non poſsimus effugere (niſi portetur Imago prædicti Patroni ſimul cum Venerabili) quin ſimus expoſiti maximæ populi murmurationi immo & ſcandalo, quod & prævenire tenemur, quantum poſsibile, & cui aliquandò in inſtanti occurrere non valemus, illi de Magiſtratu neceſſarium judicarunt exhibere hæc inconvenientia Suæ Excellentiæ, rogantes humillimè*

limè quatenus ordinare velit Clero S. Gudulæ, ut permittat, quatenus ſimul cum Venerabili, Imago S. Patroni Michaëlis Proceſsionem comitetur... Quibus malis ut occurrat, antiquitàtem laudabilem ut defendat, ac novitatem impediat: Excell. D. Comes de Monterey.... ſcripſit & mandavit Capitulo S. Gudulæ, quod (non obſtante decreto de die 29. Aug. ultimi, ac in contrarium exiſtentibus rationibus quibuſcum, quibus viderentur aliqui ad Novitatem ſeducti) tenerent Proceſsionem moribus antiquis: ſic habent ejuſdem litteræ datæ Bruxellis 4. Oct. 1674. Paraph. Pa. Vt. Sign. El Conde de Monterey, & inferius de Gottignies: pluraque alia incommoda jam nunc ex hac & ſimili novitate exurgentia luget Belgium, quod conſolata eſt Regina Mater tunc Regens per litteras de data 30. Junii 1675. inhibens omnes Novitates, hæcque ponderavit Regium & privatum Belgii Concilium, dum ratione inhibitionis antiquæ Proceſsionis Aloſtanæ, ſcandala exurgere, pacem publicam perturbari animadvertens, Illmo. D. Archiëpiſcopo hæc ſequentia intimavit. Nomine Regio volumus, *quod Clerus & populus prædictæ Civitatis relinquantur in antiqua poſſeſsione inſtituendi Proceſsionem modo ſupradicto* (ſcilicèt comitante Imagine Beatiſs. Virg. MARIÆ Venerabile Sacramentum)

tum) *sine quod respectu hujus introducatur vel minima novitas : cum Regina Mater nostra intimaverit per litteras suas de data 23. Iulii ultimi Gubernatori Patriæ, quod talis sua sit voluntas, quodq; sibi displiceat, quod volueris aliquid novi introducere, non volens quod radicem sumat, cui adhærere consultum reperimus pro præsenti, donec Decreto generali S. Sedes post fundatam deliberationem aliter potuerit ordinasse :* Bruxellis 4. Oct. 1675. Paraph. de Pa. Vt. & signat: Routart. His omnibus non obstantibus (Serenissime Princeps) Novitates accrescunt. Unde & Belgii Religiosos aliosque cordatos, qui S. Sedis ac Monarchæ nostri mandato adhærere cupiunt, persequuntur. Bullas & Decreta Pontificum, in quantum sibi non contraria recipiunt, propria authoritate Ecclesiam Belgicam reformare, se quidam dicunt, ex quo omnis Romana hic decidet cum tempore authoritas, nisi hanc Regia defendat : hæc & plura oriuntur à Jansenismo, qui incipit & aures erigere & schisma causare, quod ut impediatur, adjunctum scriptum collegi, optans ex animo, quatenus mandatum Clementissimi Regis nostri *Philippi IV.* (piæ memoriæ)de data 21. Decemb. anni 1647. quo prohibuit ne quis, hujus novi Apostoli Discipulus ad Prælaturam eligi aut promoveri posit, infallibiliter observetur : simul-

que

que decretum SS. D. N. Alexandri VII. datum anno 1664. 15. kal. Martii, ubi & formula abjurationis habetur. Unde pro pace publica rogatur Serenissima sua Celsitudo, quatenus manum admovere dignetur ne Novitates Belgium turbare pergant: notum Cel. V. Belgium Belgarumq; pro Fide, B. V. MARIA, Summo Pontifice, Regia Sua Majestate zelus sincerus, ex quo & gratias agit prædictæ Suæ Majestati, quod designaverit pro Sede Episcopali Antverpiensium Rmum & Illmum D. *Ioan. Ferdinandum van Beugem*, Virum pacificum & doctum, Patrem communem (ut ex nunc nobis virtutes ejus affirmant) verum animarum nostrarum Episcopum, B. V. MARIÆ devotissimum, Summo Pontifici Regique fidelissimum, antiquitatis Patronum, pauperum Patrem, &c. Sperans quod sese instar muri hæreticis (qui nos circumstant) & Novatoribus sese opponet; advolvitur ergo pedibus vestris Belgium, humillimè supplicans, quatenus Novitatibus finis imponatur, & S. Sedis authoritas, B. V. MARIÆ cultus, &c. defendatur, & obedientia stabiliatur erga Monarcham nostrum CAROLUM II. (cui Deus & toti Domui Austriacæ benedicere dignetur) sicque Pax restituatur, quod faciendo, &c.



Vidit & Approbavit F. A. L. C.
Act. 12. *Iulij* 1679.